

SYNODUS DIOECESANA

AB ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

DON JOANNES BAPTISTA QUASINA

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPO BOSANENSI

AC DE CONSILIO SUAE REGIAE MAIESTATIS

CELEBRATA ANNO A CHRISTI NATIVITATE MDCCLXXX

DIEBUS IV, V ET VI MENSIS JUNII

NOS DON
JOANNES BAPTISTA QUASINA

EPISCOPUS BOSANENSIS

Venerabilibus fratribus, Rectoribus, Vicariis Parochialibus,
universoque Clero nostrae Dioecesis salutem
in Domino Sempiterno

Ex quo, venerabiles fratres, ad hanc Bosanensem Dioecesim regendam, meritis licet imparibus, eveci sumus, in id curam omnem ac diligentiam contulimus, ut quae ad promovendum Domini cultum, ad augendum templorum decus, ad fovendam in populis pietatem ac religionem maxime spectarent, eadem aut pro mentis nostrae infirmitate excogitaremus, aut ab aliis laudabiliter inventa, omni studio atque animi ardore confirmaremus. Neque vero operam hac in re vestram desideravimus, venerabiles fratres, quinimo vos ardentissimo pietatis zelo ad id operis inflammatos sensimus, et consistorum ac laborum nostrorum socios atque administros incredibili animi voluptate experti sumus. In hac vero animorum et virium consensione nihil fere, quod imbecillitas nostra posset, ex iis intentatum reliquimus, quae corrigendis moribus, vitiis extirpandis, excolendis virtutibus, instruendis in fidei et sanctitatis doctrina fidelibus mirum in modum prodessent. Intelligebamus nempe nos in sortem Domini vocatos, non ad otium, non ad propria commoda, non ad quietam ac tranquillam vitam, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria, pro commisi gregis utilitate vocatos esse. Quo quidem in opere, si plus quam vires nostrae paterentur, aut ausi sumus, aut sumus etiam assecuti, Deo Optimo Maximo acceptum referimus, a quo omne datum optimum venit et donum perfectum; eique maximas agimus gratias, qui debiles atque infirmos sustentat ac recreat, et Divini brachii sui robore confirmat.

In iis tamen, quae maximo solatio nobis esse possent, unum erat, quod nos non parum anxios sollicitosque tenebat, neque animo prorsus tranquillo ac quieto esse patiebatur: consilium videlicet cogendae Synodi, in qua, quae in Pastoralibus Ecclesiarum nostrarum perlustrationibus, edictis, consiliis, publicis privatisque admonitionibus, pro temporum et locorum varietate fuerant statuta, in unum collecta et redacta majori vi et auctoritate communirentur. Movebat nos quamaxime, tum quod de iis Synodalibus comitiis habendis Tridentinum universis Episcopis commendat, tum etiam quod felicitis recordationis Benedictus XIV¹ affirmat: ejusmodi nempe Dioecesanos conventus, licet non omnino necessarii sint, eos tamen ad bonum regimen rectamque Dioecesium administrationem utiles imprimis esse ac fructuosos². Neque deerat, quod nos magis magisque moveret, praedecessorum nostrorum exemplum. Quae profecto atque alia, quae animo nostro observabantur quamplurima, nos ad hoc opus suscipiendum jampridem induxerant, jamque admoventes manum Dioecesis ipsius cura, negotiorum plurimorum gravitas [quodque magis in causa fuit dilationis ac morae] morborum vis adversaque valetudo animum nostrum a tanto averterunt opere, atque in alia atque alia vel invitum distulerunt.

Illuxit tandem dies quo, confirmata aliquanto valetudine illisque soluti negotiis et curis quod jamdiu in votis erat, exequi tandem posse confidimus. Quapropter Synodalia comitia convocare atque habere in hoc tempore statuimus, eaque in diem IV

¹ Prospero Lambertini (1675-1758), papa dal 1740. Eminente giurista e prudente uomo politico, pur difendendo rigorosamente la dottrina della Chiesa, fu moderato ed equanime nei confronti del giansenismo. È continuamente citato da Quasina: oltre al *De Synodo Dioeciesana* saranno di seguito nominate le *Institutiones Ecclesiasticae* e numerose bolle.

² S. D. N. BENEDICTI PPAE XIV, *De Synodo Dioeciesana*, 1, 2, 5, p. 7, Romae 1755: *Non idcirco tamen illis assentimur, qui eas absolute necessarias affirmant: (...)ita Episcopales Synodi, etsi maxime fructuosae, non tamen absolute necessariae dicendae sunt pro recta dioecesium administratione, cum alii suppetant modi assequendi eundem finem ad quem Synodi tendunt.*

mensis Junii celebranda indicimus, illosque omnes, qui jure vel consuetudine accedere debent, concurrere volumus, atque jubemus sub poenis [nisi legitimo fuerint impedimento distenti, quod in scriptis ostendent] in jure expressis nostroque arbitrio etiam infligendis.

Quae omnia, ut prospero percurrant eventu nostrisque votis respondeant, rogamus vos, venerabiles fratres, per viscera misericordiae Domini nostri Jesu Christi, ut in sacrosancto Missae sacrificio privatisque orationibus oretis Deum parentem luminum totiusque gratiae fontem ut radio divinitus emisso mentes nostras illustret, quae ad commissae gregis utilitatem ac salutem aptiora ac validiora sunt, benigniter inspiret, nosque omnes ad eadem exequenda pari zelo atque ardore charitatis inflammet. Interea toto cordis affectu animique sinceritate Pastoralem nostram benedictionem omnibus impartimur.

Ex aedibus nostris Episcopalibus Bosensibus die IV Maii MDCCLXXX.

† *Joannes Baptista Episcopus Bosanensis*

*Illustrissimi ac reverendissimi domini mei Episcopi jussu
Joannes Paulus Serra Synodi Secretarius*

ORATIO SYNODALIS

AB EPISCOPO HABITA

Quod erat optandum maxime, venerabiles fratres et filii in Christo dilectissimi, quodque ad rectam Dioecesis nostrae administrationem maxime pertinebat, ut nempe, coactis Synodalibus comitiis, quae ejusdem utilitati atque ornamento plurimum conferre poterant, unanimi consensu et communibus suffragiis decernerentur, illud hodierno die ineffabili Dei benignitate et summa omnium nostrum gratulatione accidisse videmus. Juvat in hoc sanctissimum et augustissimum templum convenire atque has divinae majestati sacratas perlustrare sedes. Juvat vos venerabiles Compraesbyteros, populorum duces, pastores animarum, laborum nostrorum socios atque administratos, et in vobis filios nobis carissimos, oves nostrae curae commissas, fideles universos et singulos quodammodo intueri. Quod quidem tantam affert animo voluptatem, quantam et nullo unquam die experti sumus, et explicare dicendo nullo modo possumus. Intelligimus enim, inter multa, quae ad spirituale populorum regimen valde idonea sunt ac perutilia, nihil aptius aut validius fieri posse, quam ut ejusmodi celebrentur Synodales conventus, quibus ea omnia, quae ad promovendum Dei cultum, ad tuendam Ecclesiasticam disciplinam, ad malos usus extirpandos, ad inducendos bonos mores potissimum spectant, communi eorum, quos animarum cura tangit, consilio constituentur.

Quod quidem verissimum esse, nemo unus, nisi Ecclesiasticae historiae ignarus, et in pastoralis officio plane rudis inficiari potest. Etenim quis ignorat, ab Ecclesiae primordiis ad haec usque nostra tempora, consuevisse eos, qui fidelium regimini praepositi erant, Synodales identidem habere conventus, in quibus ea, quae ad veram doctrinam, ad pietatem, ad religionem, ad obedientiam, ad poenas, ad judicia pertinebant,

pro varietate temporum et locorum conditione, advocatis Dioecesium Presbyteris et Clericis, excuterent, perpenderent ac definirent. Vel ipsis Apostolorum temporibus, aut ejusmodi Synodus a Jacobo minore fratre Domini Hyerosolymae habita est, aut saltem ejus forma et species adumbrata. Quis nescit coactam saeculo quarto a Siricio papa³ adversus Jovinianum⁴ ejusque asseclas Romanam Synodum? Quis saeculo sexto Altisiodorensem, tres Landavenses non multo postea celebratas? Quis Dioecesanam Synodos a sancto Thuribio⁵, a sancto Carolo Borromaeo⁶, a Benedicto XIII⁷, quum Beneventanae praeerat Ecclesiae, habitas? Quis Sabinenses, Bononienses atque alias innumeras, quae recentioribus et vetustioribus saeculis, vel inter immanes, quibus Ecclesia Christi vexabatur, persecutionum procellas, antequam in Oecumenica Concilia convenire potuissent Episcopi, ab his suis in Dioecesibus, pro divini cultus incremento, pro Ecclesiasticae disciplinae firmitate, pro reformatione morum, pro fidelium utilitate et salute convocabantur? Adeo persuasum erat omnibus quod in celeberrimo opere *De Synodo Dioecesana* Benedictus XIV clarius testatus

³ Romano, papa dal 384, successore di Damaso. Considerato il primo papa ad affermare il primato e l'autorità del vescovo di Roma su tutta la Chiesa, tenne un concilio nel 386. Fu Benedetto XIV, nel 1748, a inserire il suo nome nel Martirologio Romano.

⁴ Teologo del IV secolo d.C. condannato come eretico in un sinodo romano del 390 indetto da papa Siricio. Contro di lui Girolamo scrisse l'*Adversus Iovinianum*.

⁵ San Turibio de Mogrovejo (1538-1606). Fu giurista a Salamanca, inquisitore a Granada, infine dal 1579 arcivescovo di Lima per volere di Filippo II. Fu canonizzato da Benedetto XIII nel 1726.

⁶ San Carlo Borromeo (1538-1584). Nel 1560 fu eletto cardinale e arcivescovo di Milano dallo zio, papa Pio IV, che lo nominò in seguito segretario di stato. In possesso di una straordinaria abilità diplomatica e amministrativa, si mise particolarmente in luce durante i lavori del concilio di Trento. Quasina cita spesso i suoi *Acta Ecclesiae Mediolanensis*, attraverso i quali Borromeo mise in atto la riforma tridentina nella diocesi ambrosiana.

⁷ Pierfrancesco Orsini (1650-1730), papa dal 1730. Uomo di grande cultura, fu un papa riformatore e si impegnò a porre un freno allo stile di vita decadente del clero italiano e dei cardinali.

est, ejusmodi videlicet Synodales conventus, licet non omnino necessarias ad rectam Dioecesium administrationem, utiles tamen imprimis esse ac valde fructuosas.

Hinc a sacris Canonibus, a Pontificibus Summis, a Tridentinis Patribus eadem praescriptae Synodi, atque a praestantissimis doctrina et pietate viris, tamquam corporis Ecclesiae nervi, et firma ac valida nutantis disciplinae fulcimenta ac praesidia, eximiis laudibus commendatae.

Haec sane omnia atque alia, quae consulto hic omittimus, animum nostrum in Dioecesis Synodi coactionem jampridem induxerant. Verum negotiorum gravitas, multitudo et varietas, et, quod potissimum fuit, infirmae atque imbecillis valetudinis incommodum, praeconceptum turbaverunt consilium, nosque vel invitos in alia atque alia distraxerunt. Affulsit tandem dies optatissimus, in quo idipsum exequi, confirmata valetudine, et vota explere nostra a multis curis negotiisque, quibus antea vexabamur, liberatis divina bonitate licet. Quapropter sanctissimum hunc in locum, quem Dei majestas implet, quem mille incolunt Angelorum chori, cujus vel parietes salutari Crucis signo inscripti venerationem inspirant, hodierna luce, recurrente octava die sanctissimorum Patronorum Aemilii et Priami, suffragiis eorundem innixi, convenimus, in eodem illo Spiritu congregati, quo adspirante, moti ad hanc nostram Synodum atque excitati sumus, quemque consiliis rebusque nostris peculiari quodam modo adesse confidimus.

At vero, ut quae in hoc Synodali consessu, ad exactam Ecclesiae disciplinam, juxta divinas leges et sacros Canones, constitutiones faciendae sunt, majorem vim, majusque robur accipiant, id nobis erit diligenter studendum, ut qui earum condendarum participes sumus, iisdem exequendis, concordibus studiis parique animorum ardore, prout officii nostri ratio postulat, incumbamus. Quod profecto haud aegre praestabimus, si, quas in aliorum directionem atque utilitatem edimus leges, illae a nobis ipsis initium sumant ac nostrorum morum probitate vitaeque innocentia confirmentur. *Sic nos existimet homo, clamat Divus Paulus ad Corinthios scribens, sicut Dei Ministros*

*et dispensatores Mysteriorum Dei*⁸: quibus verbis nos satis aperte admonet qua morum integritate coeteris praeferre debeamus, qui in altiore sublato locum, dignitate status atque officii praestantia caeteris antecellimus. Nostra ergo interest sic instituere vitae nostrae rationem, ut oves nobis creditas verbo, opere et exemplo in Domino pascamus. Hoc sane praestiterunt Sanctissimi Ecclesiae Praesules et animarum pastores, qui magna cum laude atque ingenti eorundem fructu, fidelium regimini praefuerunt. Hoc pro viribus nostris praestituros nos quoque pollicemur, vosque omnes sedulo executuros esse confidimus, quorum nota satis est ac perspecta probitas ac virtus, nobisque etiam placendi cupiditas. Ita certe debitam Deo Optimo Maximo gloriam reddetis, munera vestra adimplebitis, sublevabitis labores nostros, populis vestrae curae commissis, Clericorum coetui, cui estis adscripti, Ecclesiae demum universae utilitati eritis, ornamento atque praesidio.

⁸ I C 4, 1.

CAPUT I

DE FIDE CATHOLICA

I Quum Theologica supernaturalis virtus, qua, veritatibus a Deo revelatis, divino ejus testimonio innixi, tota mente constanter adhaeremus, quemadmodum beatus Paulus affirmat¹, initium sit, fundamentum et radix justificationis nostrae², non Oecumenica tantum Concilia, verum etiam Provinciales et Dioecesanae Synodi, quae nihil umquam habuerunt antiquius, quam ut puram integramque in populo Christiano fidem atque ab omni erroris labe servarent immunem, suarum sessionum initio, ad retinendam veterem Orthodoxae fidei doctrinam, atque ad repudiandos fortiter recentium hominum errores, fideles adhortari omnes jure optimo consueverunt.

II Nos itaque sanctorum patrum atque illustrium Ecclesiae Principum vestigiis inhaerentes, dilectissimos nobis in Christo filios vehementer obsecramus ut propagatam perpetua quadam successione a Christo ipso atque ab Apostolis religionis disciplinam constantissime teneant, simulque sanctae Catholicae fidei professionem constitutionibus nostris veteri de more praemittimus, praescriptis a Pio IV pontifice maximo³ verbis in

¹ Per il pensiero di San Paolo sulla giustificazione si veda *R* 3, 21-28.

² *Concilium Tridentinum*, Sessio 6, c. 8: *fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis*.

³ Giovanni Angelo Medici di Marignano (1499-1565), papa dal 1599. Riconvocò e portò a conclusione (1562-63) il Concilio di Trento, pubblicandone i decreti di riforma della Chiesa e favorendone l'attuazione tramite la Congregazione del Concilio.

bullam *Injunctum Nobis*⁴, quam ad hujuscae nostrae Synodi calcem appendimus⁵.

III Quamobrem Sacri Tridentini Concilii decretum prae oculis habentes^a, huic Dioecesanae Synodo, qui intersumus omnes laudatam fidei professionem emittimus, et ejusdem quoque concilii auctoritate sussulti, provisos de beneficio animarum curam adnexam habente, intra duos menses ab adepta beneficii possessione, non per Procuratorem, sed per se ipsos, fidei professionem facere; qui vero ad dignitatem, sive Canonicatum in nostra Cathedrali Ecclesia promoti fuerint, illos eamdem iterare professionem coram nobis aut coram Dioecesis nostrae Pro-Episcopo volumus atque jubemus. Qui non paruerint, nec suos beneficii facient fructus, nec obtenta iisdem proderit ullo modo possessio.

IV Etsi vero (quod ad aures nostras pervenerit) nihil sit in hac nostra Dioecesi reprehensione dignum, quodque contra receptam ab Ecclesia fidei ac morum doctrinam, novum aliquem sapiat errorem, cum tamen corrupti jam nostri hujus saeculi mores liberiores quemdam loquendi modum invexerint, passimque a nonnullis temerariae quaedam proferantur sententiae, quae a veritate avertunt convertuntque ad fabulas, quemadmodum Apostolus inquit^b; veremur sane ne, si virus aliquando istud huc quoque afflaverit, incauti saltem et imperiti homines inficiantur, sicque paullatim vera et Apostolica doctrina, quam divino munere puram integramque servavimus, depravetur atque corrumpatur. Quocirca Parochis nostris ac Pro-Parochis curam omnem ac sollicitudinem hac in re commendamus rogamusque vehementer ut, morbus hic, si quando detexerint, ne ingravescat, totis ipsi viribus enitantur

⁴ L. TOMASSETTI ET COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM, *Bullarium Romanum Tomi XXIV*, tom. 7, pp. 327-329, Augustae Taurinorum 1862. Nella bolla Pio IV die-de il riassunto tematico, conosciuto come la “*professio fidei tridentinae*”, dei decreti sul peccato originale e la giustificazione.

⁵ La bolla non è allegata al sinodo.

^a Sessio 24 *De reformatione*, c. 12.

^b 2 T 4.

nobisque nuntiare velint, ut tanto huic malo validiora remedia aptioremque medicinam faciamus.

V Arguant, obsecrent, increpent cum omni patientia et doctrina, qui immani prorsus audacia ac scelere infandas in Deum, Beatam Virginem ac Sanctos blasphemias evomere ausi fuerint, qui superstitione aliqua uti magia, maleficio, sortilegio, divinatione, vana observantia, qua vel alteri debitus Deo cultus vel indebitus Deo exhibeatur, abuti non erubuerint, qui in pravam sensum aut usum Sacrorum librorum verba converterint. Ad quae mala prorsus avertenda eorum sollicitudini et curae vires quoque nostras et operam adjungemus, ut hanc sane gravem pastoralis officii partem adimplere in Domino valeamus.

VI Qua de re suis in concionibus populum alloquentes, si forte malum hoc in eum irrepsisse noverint Parochi et Pro-Parochi, gravissima, quae eidem ex hujusmodi impiorum hominum consortio provenire possunt, incommoda et mala ante oculos ponant et strictissimam simul illos denunciandi obligationem ostendant, ut et insolens eorum temeritas coerceatur, et imminens quoque alios praesertim rudes decipiendi periculum omnino tollatur. Quam obligationem, si, qui neglexerint, reperiantur, eos inabsolutos confessarii dimittant, dum nos muneri nostro minime defuturos pollicemur, quam speramus, regiam auctoritatem, si opus fuerit, implorantes, ut stirps ac semen ipsum malorum hominum evellatur atque extingatur.

VII Nobis satis compertum est, quod sine lacrymis considerare non possumus, quantam bonorum morum atque orthodoxae fidei jacturam librorum depravatorum lectio afferre in dies soleat. Hinc, quantum in Domino possumus, tam pernicioso serpentine malo occurrere volentes, Parochis confessarii-sque injungimus ut in legentes retinentesque tales libros munus suum accurate expleant, et, si opus fuerit, nos monitos reddant ut eos opportunis remediis, poenis etiam spiritualibus, ab hoc animarum contagio distrahamus.

CAPUT II

DE EXPLICATIONE DOCTRINAE CHRISTIANAE

I Quum multa sint et praeclara quae ad servandam fidei puritatem ac religionis disciplinam retinendam plurimum conferunt, tum nihil validius, nihil aptius esse videtur quam assidua divini verbi praedicatio ac praesertim explicatio eorum quae, ut commune Christianorum omnium et proprium suae conditionis officium exercere possit, quisque scire omnino tenetur. *Declaratio*, ait Regius psaltes, *sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis*^a. Revera illud quotidiana experientia compertum est, quo magis in vera fidei doctrina instruuntur populi, eo magis in illis bonos mores efflorescere, debitum Deo cultum exhiberi, observari divinam legem, omnes denique virtutes exerceri.

II Hoc sane ducti consilio simul ac ad hanc Bosensem Ecclesiam ac Dioecesim regendam nil tale promeriti, divina beneficentia vocati sumus, in eaque Christianae Doctrinae ignorantia non paucos laborare intelleximus; Parochis nostris, datis etiam literis, praescripsimus ut festis quibusque diebus collectos in Ecclesia pueros doctrinam Christianam edocerent, et simul adultis suis in concionibus eamdem planius ac fusius explicarent, tum virtutum theologicarum fidei, spei et charitatis actus, vespere, post peractam concionem, mane, ante primam, et post ultimam missam repeterent, confessariis omnibus illos absolvendi jurisdictionem subtrahentes, qui subito examine subscriptam ab examinadoribus a Parocho praefixis approbationis schedam non ostendissent.

III Jam vero haec, quibus tunc temporis usi sumus, quaeque, Deo favente, non invalida ad hunc finem media sumus

^a Ps 118, 130.

etiam experti, Synodalibus hisce constitutionibus praescribimus, statuimus et confirmamus. Volumus ergo Parochos nostros curam omnem ac diligentiam adhibere, ut tanto huic oneri pro virili parte satisfaciant et quae nos olim Parochi officio fungentes et in nostris instructionibus nunc etiam temporis observamus, ipsi quoque persolvant.

IV Diebus itaque Dominicis, dato signo, Parochus Clero comitatus, praesbitero praeferente Crucem, exeat populum convocaturus, tunc processions in modum ducat in Ecclesiam. Ibi distributos in classes pueros Christianam Doctrinam edoceant Clerici elata voce, ut ab ipsis quoque adultis valeant exaudiri. Adulti vero a Parocho vel Sacerdote aliquo, quem Parochus probaverit idoneum, habita concione, in eadem clarius ac uberius instruuntur, repetitis in finem fidei, spei et charitatis actibus, sub iisdem praecise terminis quibus ad calcem hujus Synodi leguntur expressi¹.

V Prima aut altera quadragesimae Dominica populum monebit Parochus nonnisi ab eo Paschale praeceptum impletum iri, qui Doctrinae examen subiisse et ab examinatore approbatus fuisse dignoscatur, quod nisi confessarii comperit habere, neminem absolvere praesumant. Examinatores vero ab ipso Parocho praesignati non intra domesticos parietes, sed in Ecclesia, singulos fideles, excepto necessitatis casu, ad examen admittant.

VI Quoniam vero, cura etiam omni ac sollicitudine a Parochis adhibita, parentes ac domini in instruendis filiis atque famulis negligentiores esse persaepe solent, parentes hujusmodi ac dominos moneant et reprehendant confessarii, hortenturque ut domi privatim suae curae subiectos Christianam Doctrinam edoceant, et festis quibusque diebus ad Ecclesiam mittant; si quos hac in re contumaces invenerint, sine absolutione dimittant, hac enim indignos sese prorsus exhibent, qui ad poenitentiae Sacramentum indispositi accedunt; indispositi vero existimandi profecto sunt qui et confessarii parere et tam gravissimo oneri satisfacere recusant.

¹ *Infra, Attos de bonu cristianu.*

VII Parochi quoque ipsi nihil intentatum relinquunt quominus Cathéchismo fideles assiduo intersint atque in mentem revocent Indulgentiam quadraginta dierum quam iis, qui ad Cathéchismum accedunt, libenter concedimus. Ubi vero haec media minime prodesse perspexerint fortia quoque adhibeant, saecularem potestatem implorantes, ut fideles Ecclesiam adire compellantur poenarum, si necessitas urgeat, inflictione, quibus in Regio edicto expressis^b vigilantissimus atque amantissimus subditorum Princeps Carolus Emmanuel felicitis recordationis Dei cultum et animarum salutem promoveri conatus est.

VIII Denique hortamur saeculares justitiae administros ut auctoritatem suam ad hunc sanctissimum finem consequendum conferre velint, non solum cogentes populos ut Ecclesiam frequentent sacrisque concionibus intersint, verum etiam, quo tempore sacrae functiones in Ecclesiis habentur, prohibentes ne qui choreas, ludos celebrent, aut personati incedant, aut alia id genus exercent quae impedimento sint quominus adire Ecclesiam sanctasque conciones audire fideles possint. Ita sane expressam edicto boni Principis mentem assequuntur, et, quod primum ac praecipuum est, Dei Optimi Maximi voluntatem adimplebunt.

^b Regio edicto 15 Januarii 1770. [*Pregone del Viceré conte Des hayes de' 15 gennaio 1770 concernente l'esercizio e la frequenza della dottrina cristiana, cfr. Editti, pregoni ed altri provvedimenti, tom. 1, pp. 70-75, Cagliari 1775*].

CAPUT III

DE PRAEDICATIONE VERBI DEI

I Praeter eam, quam mox declaravimus, obligationem Christianam doctrinam explicandi, aliud non minus aut levius Parochis incumbit onus Sanctum nempe Evangelium divinumque legem annuntiandi. Hanc sane Parochorum obligationem non ecclesiastica tantum verum etiam divina ac naturalis lex suadet et comprobat, confirmantque apertissimis verbis Tridentini Patres, *sessione XXIV De reformatione*¹. Quare licet Parochi nostrae Dioecesis in hoc munere exercendo pie ac laudabiliter sese gerant, illos tamen nos quoque, ut in eodem constantissime perseverent, quam vehementer obsecramus. Inter ergo Missarum solemnia gravi, facili et vernaculo sermone sanctum annuntiare Evangelium nunquam desinant, morale ex eo trahentes argumentum, quo ad deserenda vitia, ad exuendos malos habitus atque ad virtutes exercendas fideles excitentur.

II In hac nostra Dioecesi Parochum adesse novimus qui cum videret villicos ac rusticos homines rarissimo Ecclesiae interesse posse, cum divinum verbum a Parochis dispensatur (solent enim diebus festis primam missam audire, ut proprios agros invisant atque aliis hujusmodi negotiis vacent, quae alieno labore distenti ferialibus diebus gerere minime possunt), illud excogitavit ut inter primam missam etiam sanctum Dei Evangelium praedicaretur atque sic spirituali verbi divini cibo fidelium omnium animi pascerentur. Utinam tanto charitatis zelo exardescerent Parochi, unde Apostoli verba usurpantes dicere jure merito possent^a, *die ac nocte non cessavi monens*

¹ Sessio 24 *De reformatione*, c. 4.

^a A 20. [La citazione risulta dalla mescolanza di tre differenti passi del capitolo 20 degli *Atti degli Apostoli: Nocte et die non cessavi, cum lacrimis monens unumquemque vestrum* (20, 31), *nihil subtraxerim utilium* (20, 20), *quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis* (20, 27)].

unumquemque vestrum, nihil subtraxi utilium quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.

III Non improbamus quod Pro-Parochus aut Sacerdos alius sanctum persaepe Evangelium annuntiet, imo vero magnae utilitati id esse fidelibus non immerito existimamus, quod aliquis sacro hoc munere versatus Parochi vices, quoties hic morbo aut gravi alia quacumque causa fuerit impeditus, cum animarum salute supplere possit; volumus tamen praedicandi munus suscipere neminem, nisi facultatem a nobis et Pastorallem benedictionem prius obtinuerit: *non enim cujusvis est*, ait Gregorius Nazianzenus, *de divinis rebus disserere concionarive*². Qui secus egerit, impositas a jure poenas nequaquam effugiet.

IV Nec prohibuimus unquam, nec prohibere nostris hinc Synodalibus constitutionibus intelligimus Parochis ut quadragesimales conciones suis habeant in Parochiis, has tamen alienum Oratorem facere, salubre ac frugiferum magis esse ducimus. Praeterquamquod enim inaudita Oratoris vox populi frequentiam excitare soleat, experientia satis constat insignes etiam peccatores graviora peccata Ecclesiae clavibus nunquam subjecta quadragesimali Praedicatori aperuisse.

V Hortamur vero Concionatores hujusmodi rogamusque vehementer, ut Confessiones, quantum fieri potest, frequenter excipiant, ut, quem sermones eorum pariunt, fructum colligant uberiolem. Quod tum contingere perspicient, cum Evangelico, quod obeunt, praedicandi muneri recta vivendi ratio satis apte responderit, memores consilii quod Tito³ suo praebeet Apostolus iis verbis^b: *in omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

VI Concionatores ergo prae oculis habeant magnum

² Gregorius Nazianzenus, *Oratio 27, 3 (Theologica I adversus Eunomianos)*, cfr. Migne, PG 36, col. 14. Il passo è citato anche negli *Acta Ecclesiae Mediolanensis*, pars 4, p. 403, Patavii 1754.

³ P *Timotheo*.

^b *Tt 2, 7-8.*

quod exercent et Apostolicum officium atque ita se gerant ut decet *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*⁴. Nisi enim, quam coeteris ostendunt, vivendi rationem factis expriment suis, nunquam ad eandem auditores excitabunt. Sane Christus, cujus ministri sunt Praedicatores, coepit facere et docere, neque verbo solum, sed potissimum exemplo discipulos et fideles omnes in eum credituros instituit. Hinc Chrysostomus^c: *bene vivendo et bene docendo populum instruis, quomodo debet vivere, bene autem docendo et male vivendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare*. Quin et Deus ipse inanes hos verborum Concionatores objurgat^d, *quare tu enarras justitias meas et adsumis testamentum meum per os tuum, tu vero odisti disciplinam*.

VII Praedicatorem eligendi qui jus habent, nos de electione facta deque electi nomine intra mensem Novembris consocios faciant, quemadmodum dignissimus praedecessor noster Sua Maiestas Don Nicolaus Cani⁵ praecipit in sua Synodo. Quo tempore elapso, jus illum eligendi ad nos, pro futura quadagesima, devolutum erit.

VIII In solvendo stipendio praefixo debitoque haud moram interponant: in coeteris cujusque loci consuetudo diligenter servetur.

⁴ C 4, 1.

^c Divus Chrysostomus, *Homilia* 43 in *Mathaeum*, cap. 23, relata in Dist. 40, cap. 12 [si tratta di un passo dell'*Opus imperfectum in Matthaem* dello Pseudo-Crisostomo, che Quasina cita attraverso il *Decretum Gratiani*, c. 12, D. 40].

^d Ps 49, 16-17.

⁵ Nicola o Nicolò Cani (1670-1737), fu nominato vescovo di Bosa nel 1727. Con l'editto del 10 dicembre 1728 convocò un sinodo che si svolse a Bosa il 10 gennaio 1729. Il sinodo è stato pubblicato a Cagliari col titolo *Constitutiones synodales del Obispado de Bosa dispuestas y ordenadas en la synodo a los 10 henero 1729*.

CAPUT IV

DE VENERATIONE SACRARUM RELIQUIARUM ET SANCTARUM IMAGINUM

I Sanctorum Martyrum aliorumque cum Christo viventium reliquias magno in honore ac veneratione habendas esse non uno scripturarum exemplo edocemur. In iis enim legimus Jordanis aquas iniecto Eliae pallio divisas fuisse, Elisaei cadavere mortuum ad vitam excitatum, Divique Pauli et Principis Apostolorum vinculis multa fuisse patrata miracula. Quibus ostendit Deus sibi maxime placere, Sanctorum corpora et reliquias a fidelibus honorari, bonumque iisdem esse atque utile invocare Sanctos, ad eorum orationes confugere atque ipsorum opem et auxilium implorare. Hinc Tridentina Synodus, retinens Ecclesiae usum a primaevis fidelibus receptum atque a conciliis adprobatum, contra sentientes Haereticos damnavit^a.

II Eadem porro Tridentina Synodus docet Imagines Christi, Beatae Virginis et aliorum Sanctorum in Ecclesiis habendas ac venerandas esse, non quod in iis divina aliqua virtus inesse credatur, cui honos debeat et cultus, sed quod honor, qui iisdem exhibetur, ad Prototypa referatur. Hinc, quoties sacras veneramus Imagines atque ante eas procumbimus precesque fundimus, Christum, Deiparam et Sanctos, quorum illae similitudinem exhibent, adoramus.

III Erit ergo Parochorum munus de Sanctorum invocatione reliquiarum honore et sacro Imaginum usu commissos sibi populos instruere, eosque propositis Sanctorum exemplis sacrisque objectis Imaginibus ad pietatem et religionem excitare.

IV Curent etiam Parochi ut Sanctorum reliquiae decen-

^a Sessio 23 De [invocatione,] vener<atione> et reliq<uiis> Sanctor<um> et Sacris Imag<inibus>.

ti in loco serventur thecisque inclusae diligenter custodiantur, neque unquam, nisi a Sacerdote superpelliceo et stola induto et cum luminibus, fidelium venerationi exponantur. Caveant diligenter ne aliae, praeter a nobis adprobatas, aut in posterum cum requisitis a Tridentino conditionibus adprobandas, proponantur colendae, neque istae, nobis inconsultis, ex uno in alium locum aut ex una in aliam Ecclesiam transferantur.

V Quod de Sanctorum reliquiis diximus, id poene omne circa Imagines et simulacra observandum diligenter volumus, videlicet nonnisi eas, quas Dioecesim perlustrantes adprobavimus aut in posterum adprobandas duxerimus, in Ecclesiis retinendas esse. Illud tandem monendum censemus ut nempe huiusmodi Imagines a saeculi pompa atque ornamentis abhorreant, idque tantum praeseferant, quod modestiam, pietatem et devotionem inspiret.

CAPUT V

DE SACRAMENTIS

I Cum humana natura primi Parentis depressa lapsu pessum tota ferretur, tanta fuit in Dei Filio clementia ac bonitas ut delapsus e coelo humanam formam induere voluerit, et, omnium Dominus cum esset, formam servi assumens, infinitis sese laboribus, cruciatibus atque aerumnis, morti denique teterimae atque acerbissimae exposuerit, ut sudore ac sanguine suo ab animis nostris durissimum jugum aeternae depelleret servitutis. Cum vero neque id sibi satis esse videretur, nisi perpetua quaedam relinqueret ac stabilia amoris sui pignora et certa atque indeficientia salutis nostrae subsidia, quibus eadem amissa recuperaretur ac servaretur obtenta, septem instituere voluit Sacramenta, perennes veluti fontes, ex quibus gratia omnis in nos emanaret, uberrima atque infinita pretiosissimi sanguinis sui merita ad nostram justificationem derivarent.

II Porro hanc institutionem a Christo Domino factam tum scriptura sacra, tum etiam perpetua ab Apostolis ipsis profecta traditio declarat atque confirmat. Quibus innixi Patres in Oecumenicis conciliis congregati adversantes audacter Haereticos refutarunt atque anathemate ferierunt. Hinc damnati sunt saeculo tertio confirmationem rejicientes Novatiani¹, saeculo quarto Manichaei² qui matrimonium inter Sacramenta

¹ Lo scisma dei Novaziani trae il proprio nome da Novaziano, che nel 251 si fece ordinare vescovo di Roma in contrapposizione a Cornelio. I Novaziani predicavano un rinnovamento spirituale in unione al rigorismo dottrinale e sostenevano che i *lapsi* (cristiani che durante le persecuzioni avevano rinnegato la fede) non dovessero essere riammessi nella comunità cristiana.

² Fondato da Mani nel III secolo d.C., il manicheismo è una religione a carattere sincretista che oppone i due principi del Bene (luce) e del Male (tenebre), sempre in lotta tra loro.

recensendum esse negabant, saeculo quartodecimo Wiclefitae³ qui extremam unctionem despiciebant, ac saeculo decimo sexto Tridentini Patres plurimos Canones ediderunt, quibus Divina Sacramentorum institutio et septenarius eorum numerus et vetus Catholicae Ecclesiae disciplina confirmata est^a.

III Hanc eamdem doctrinam prae oculis habuerunt Provinciales quaeque et Dioecesanae Synodi, ut sacris Ecclesiae ministris rectam administrandorum sacramentorum normam proponerent, simulque Parochis omnibus gravissimam obligationem ostenderent fidelibus eorum curae commissis explicandi Sacramentorum eorundem numerum, naturam, partes, virtutem, effectus, quaeque, ad recipiendam, quam significant ac conferunt invisibilem gratiam, necessaria prorsus existimantur.

IV Consulant ergo Parochi Rituale Romanum, quaeque ibi ad rectam singulorum Sacramentorum administrationem praescribuntur diligenter observent, fidelibus quoque suis, ut saepissime monuimus in Cathechismis et sacris Concionibus, explicent materiam et formam Sacramentorum, dispositiones quas iisdem digne et cum fructu suscipiendis praemittere debent, saniores hac in re ac tutiores doctrinas sequentes juxta mentem Innocentii XI⁴ in proscriptione propositionis primae inter damnatas.

V Quamquam novae legis Sacramenta gratiam conferant ex opere operato, non operantis, cum tamen ea sint, quae sanctitatem in animis nostris producant, nonnisi puris sanctisque

³ Seguace di John Wyclef (1324-1384), parroco di Fillingan, maestro di teologia a Oxford, la sua dottrina è sintetizzata nelle quarantacinque proposizioni condannate dal Concilio di Costanza il 4 maggio 1415. Egli sosteneva la necessità di una Chiesa puramente spirituale, senza gerarchia, quasi senza sacramenti e senza sacerdozio, costituita dai predestinati.

^a Sessio 7 *De sacramentis* et seq.

⁴ Benedetto Odescalchi (1611-1689), papa dal 1676, condannò il nepotismo e cercò di disciplinare i costumi ecclesiastici e laici. In campo dogmatico avversò il probabilismo teologico-morale e il lassismo dei gesuiti, dei quali nel 1679 condannò sessantacinque proposizioni come *propositiones laxorum moralistarum*.

manibus tractanda sunt. Itaque studeant omnes Sacramentorum administri ac praesertim Parochi et Pro-Parochi, qui passim ad conferenda Sacramenta vocari solent, castam, puram atque integram vitam agere, sibi enim peculiariter dictum intelligant a Christo Domino^b *Sancti estote quia et ego sanctus sum*. Ubi vero contingat ut aliquis peccati lethalis se reum esse cognoverit, antequam Sacramentum administret, actum contritionis elicere et, si tempus suppetat, Sacramentali poenitentia sese expiare debet, ut gratiam primum ipse recipiat, et deinde aliis, quin novum aliquod contrahat graviusque peccatum, per Sacramenta ipsa conferre possit. In administratione quoque ipsa, ut ornatus atque externus cultus Sacramentorum dignitati et ministrorum sanctitati respondeat, sacras et proprias cujusque Sacramenti a Rituali Romano praescriptas vestes adhibere tenetur.

VI Quemadmodum vero, ubi spiritualis fidelium necessitas atque utilitas exigit, faciles, promptos atque alacres ad conferenda sacramenta sese exhibere vocati debent, ita etiam aut differre, aut denegare iis omnino debent quos indispositos deprehenderit, uti sunt Recidivi, Consuetudinarii, publici peccatores, donec ad meliorem frugem rediisse experimento non uno comprobaverint. Hoc enim apud Sanctum Mathaeum a Christo Domino praescriptum legimus^c: *nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis et conversi disrumpant vos*.

VII Etsi nihil umquam in Parochis nostris atque Clericis deprehenderimus quod avaritiam, ambitum aut simoniacam labem sapere videtur, cum tamen hujusmodi vitia foeda, detestabilia ac Clerico viro prorsus indigna sint, vehementer obsecramus Clericos nostros ut pestem hanc tam horribilem tamque tetram detestentur omnino atque effugiant. Non improbamus tamen eosdem factas a fidelibus oblationes accipere, dummodo

^b *1 P 1, 16*. [Il passo citato corrisponde a *Lv 11, 44 e 19, 2*, all'origine di *1 Pt 1, 16: quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*].

^c *Mt 7, 6*.

gratuitae sint ac liberae nec tamquam necessariae ac sibi debitae ab iisdem exposcantur.

VIII Illud quoque diligenter curent Parochi ut sacra vasa, vestes ac suppellectilem omnem mundam ac nitidam habeant Ecclesiae, id enim divinarum rerum, quibus haec inserviunt, dignitas et praestantia jure optimo exoptulare videtur.

IX Jam vero cum ab Ecclesia definitum et Catholica fide certum sit, quae a Christo Domino instituta sunt vera ac propria esse Sacramenta, neque ea aut plura aut pauciora esse quam septem, de singulis in hac nostra Synodo breviter agemus. Sic enim quam coeteri praeiverunt viam, nos quoque persequemur, et veterem hac de re Ecclesiae disciplinam quoad singulorum Sacramentorum administrationem observandam proponemus.

CAPUT VI

DE SACRAMENTO BAPTISMI

I Baptismum, qui inter Sacramenta novae legis primum obtinet locum ideoque coeterorum Sacramentorum janua nuncupari vulgo solet, in pluribus veteris Testamenti locis praefiguratum legimus. Hunc enim, ut Patres communiter affirmant, indicarunt universalis aquae Diluvii, Nahaman Syri ablutio in Jordane^a et Probatrica piscina atque alia ejusmodi, quae veteris Testamenti libros perlegenti facile est invenire. Institutum fuit hoc Sacramentum aut post passionem, cum Apostolos missurus ad promulgandam Evangelii legem iisdem dixit: *euntes docete omnes gentes baptizantes etc*^b, aut quemadmodum probabilius putat Divus Thomas, quum a Joanne baptizatus fuit in Jordane, Augustini auctoritatem sequutus et verba: *ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo hominum peccata abluit aqua*^c.

II Porro hoc Sacramentum necessarium est ad salutem necessitate medii, ut ajunt, adeo ut sine illo vel in re, vel saltem in voto nemo justificativam gratiam in hac vita, in altera aeternam felicitatem consequi valeat. Apertissimis enim verbis in Joannis Evangelio^d pronuntiavit Baptismatis institutor Christus Dominus Nicodemum adloquens: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*. Est ergo Baptismus Sacramentum regenerationis per aquam in verbo, unde ait Augustinus^e: *accedit verbum ad elementum et fit*

^a Ita Cyprianus, Ambrosius atque alii.

^b Mt 28, 19.

^c III^a q. 66 a. 2 s. c. [La citazione della *Summa Theologiae* rimanda a un'orazione pseudo-agostiniana, *Sermones Suppositi, classis de Tempore*, 135, 4: *Nam ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus cunctorumque fontium venas mysterio baptismatis consecravit*. Cfr. Migne, PL 39, col. 2012].

^d J 3, 5.

^e *Tractatus in Joan<nes>* 80, 3. [Cfr. Migne, PL 35, col. 1840].

Sacramentum. Triplici modo primis Ecclesiae saeculis conferebatur baptisma: aspersione, immersione, ablutione; nunc vero temporis per solam ablutionem baptismum conferre suescit Ecclesia, unde aqua naturalis est hujus Sacramenti materia, forma, verba illa tempore ablutionis a ministro prolata: *ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

III Cum vero Sacramenti hujus minister sit omnis homo viator adeo ut etiam laicus quivis valide semper licite in casu necessitatis Baptisma conferre possit, populos suos edocere Parochi debent hujus Sacramenti materiam, formam, ritumque administrandi, ne tam necessaria instructione carentes fideles, ubi extremum periculum cogat, illud invalide conferant atque sic baptizati decedentes e vita pueri irreparabile perpetuae mortis damnum effugere non valeant.

IV Juxta normam Ritualis Romani, ubi mortis periculum baptizando puero instet nec ad Ecclesiam deferri possit, ut a Parocho solemni debitoque ritu baptizetur, dignior et instructior minus dignis ac rudioribus praeferendus est qui periclitantem puerum baptizet, ita Sacerdos Diacono, Diaconus Clerico minori per gradus, vir foeminae, nisi propter decentiam obstetricem ipsam aut foeminam quamvis aliam juverit baptizare. In hujusmodi casu baptizandorum parentes alienis semper postponendi sunt, nisi imperiti isti atque omnino rudes invalidae collationis periculum aut dubium relinquunt.

V Si quando obstetricem aut quemvis alium, urgente necessitate, baptizare contigerit, scrutari debet Parochus aut Pro-Parochus num debita materia, forma, coeteraque ad hujus Sacramenti administrationem requisita rite adhibita fuerint; si, hisce omnibus diligenter perspectis, Baptisma valide fuisse collatum deprehenderit, suppleat tantum in Ecclesia coeremonias neque utatur forma conditionata, nisi prudens de ejusdem valore dubium remaneat ut inflictas a jure rebaptizantium penas effugiat^f. Infantes vero vulgo expositos, etiam si habeant

^f *Catechismus Romanus* pars 2, *De Sacramento Baptismi*, 57; S. Carolus *Acta Ecclesiae Mediolanensis* pars 4 [*Catechismus ad Parochos*, p. 201, Patavii 1777; *Acta Ecclesiae Mediolanensis*, p. 422, Patavii 1754].

collo appositam schedulam attestantem eos fuisse Baptismate ablutos, sacra Congregatio Concilii^g rescripsit esse denuo sub conditione baptizandos, nisi certa habeatur notitia personae a qua schedula sit exarata, aut aliunde indubitatum desumatur indicium Baptismatis iisdem rite collati.

VI Moneant Parochi infantium parentes ut filios suos quantocyus ad Ecclesiam baptizandos deferant, ita enim et raro continget ut pueri ex hac vita sine Baptismo decedant, et eorum parentes concessam a nobis quadraginta dierum indulgentiam lucrari poterunt, si intra biduum, postquam in lucem editi fuerint, filios suos Parocho baptizandos sistant. Et quoniam novimus majorem quemdam fastum ac saeculi pompam in causa esse cur Baptismi collatio persaepe differatur, volumus atque praecipimus ut, biduo jam elapso, nonnisi Parochus vel Pro-Parochus puerum baptizet, nec parentes aut paternos domum de more comitetur. Speramus fore ut huic nostrae voluntati morem gerant Parochi totque ita animarum periculum, quot parentum non raro causa perire solent, totis avertere viribus enitentur.

VII Cum veteri Ecclesiae consuetudine^h receptum sit ut in solempni Baptismatis administratione duo patrini adhibeantur vir et foemina, ad id officium neminem Parochus admittat nisi boni nominis sit atque integrae fama: sunt enim illi veluti fidejussores apud Deum rectae puerorum institutionis in iis quae et scire et credere fideles omnino tenentur. Si vero parentes designare hujusmodi paternos neglexerint, eos Parochus nominet ne vetus haec Ecclesiae caeremonia despici videatur.

VIII Haud secus arcere omnino ab hoc munere debent

^g Benedictus XIV 7, 5, 3 et seq. [*De Syn. Dioec.*, p. 193, Romae 1755. Si vedano anche gli *Acta Ecclesiae Mediolanensis*, pars 1, *Concilium Provinciale Mediolanense III, De baptismo infantum expositorum*, p. 78, Patavii 1754: il riferimento compare nella nota h].

^h *Catechismus Romanus, De Sacramentum Baptismi* 2, 26; *Concilium Provinciale Mediolanense III, De baptismo, Acta*, pars 1 [*Catechismus ad Parochos*, pp. 184-185, Patavii 1777; cfr. anche *Acta Ecclesiae Mediolanensis*, pars 4, *Instructiones pro administratione omnium sacramentorum, De baptismi administratione*, p. 425, Patavii 1754].

Parochi, licet a parentibus fuerint designati, impuberes, non Confirmatos, fatuos, amentes, sicuti etiam cujuscumque ordinis Religiosos ac Sacerdotes, aut Clericos saeculares, nisi obtentam a nobis aut a Vicario Generali veniam ostendant, qua sine istis pariter Sacramenti hujus administrationem interdiciamus. Nemo extra necessitatem baptizetur, nisi prius nomine et cognomine baptizandi, ejusdemque parentum simul et patrino- rum parentumque eorundem in scriptis accepto sicque non facile memoria excidet praedictorum omnium nominis cognomi- nisque, juxta Ritualis formulam, in baptizatorum libro injuncta descriptio.

IX Baptizandos quoque pueros non alia referre nomina sinant Parochi, nisi eorum quos excellentium virtutum ac mira gestorum fama et splendore insignes publico ac solemni cultui et venerationi proponit Ecclesiaⁱ, *ut significetur*, ait Divus Ambrosius, *nomen dari Christo et in illius dominium transire*, atque ut eorum exemplo et imitatione virtutes exercere aeternamque in altera vita felicitatem firmo et salutari eorum praesidio consequi valeant.

X Curent Parochi ut sacri fontes baptismatis decenti loco sint atque ea munditie et nitore quem nostrae Dioecesis Ecclesias visitantes magna cum animi voluptate servari vidi- mus, haud aliter vasa sancti Chrismatis et olei, cochleare, album palliolum, seu vestis candida caeteraque ad illius administratio- nem adhibenda prout tanti Sacramenti dignitas postulare vide- tur. Quod si aquam in vase contentam aut deficere aut corrup- pi contingat, novam puramque, ut in Rituali Romano legitur, benedici oportet. In baptisteriis in quibus locus non extiterit ad recipiendam superinfusam puero aquam, vas aliquod mundum nitidumque servetur quod huic usui inserviat, et contenta in eo- dem aqua in piscinam diligenter servandam demittatur^j.

XI Curam omnem ac sollicitudinem adhibeant Parochi

ⁱ *De Sacramentis* 1, 2. [La citazione non si legge nel *De Sacramentis* di Ambrogio].

^j *Concilium Turritanum provinciale, De baptismo* [*Decreta concilii provincialis Turritani*, pp. 16-17, Sassari 1641].

et Pro-Parochi in custodiendis Baptizatorum libris, eosque aut legere aut ex iisdem fidem extrahere absque facultate a nobis concessa in scriptis nemini permittant. In referendis vero in eisdem jam collatis baptismis Ritualis Romani normam penitus sequantur, quos libros nobis diligenter adservandos in Archivis nostrae Curiae conscriptos et absolutos de more remittant, in oppidis autem in Ecclesiae Archiviis omni cura custodiantur.

XII Moneant tandem, si opus fuerit, puerperas ut quantocyus Ecclesiam adeant, ut praescriptam a Rituali Romano benedictionem accipiant, Deo Optimo Maximo collatorum in se beneficiorum gratias agant atque aptiora obtineant auxilia quibus temporalis et spiritualis pueri utilitas salusque promoveatur.

CAPUT VII

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

I Confirmationis Sacramentum, quo juxta communem Conciliorum ac Sanctorum Patrum sententiam plenitudinem Spiritus Sancti accipimus atque ad servandam constanter et aperte confitendam fidem firmamur atque munimur, impugnarunt saeculo tertio Novatiani, saeculo decimo sexto Lutherus¹ et Calvinus², qui Confirmationem puram atque otiosam caeremoniam dicebant esse ac Spiritus Sancti contemptum, contra quos Tridentini Patres^a eam esse definierunt verum ac proprium novae legis Sacramentum inter septem a Christo Domino instituta recensendum.

II Revera institutio hujus Sacramenti ex eo suadetur quod Apostoli, ad imponendas manus baptizatis a Philippo Diacono, Divum Petrum ac Joannem in Samariam miserunt^b, effectus vero comprobatur ex promissione discipulis a Christo Domino facta apud Lucam^c: *et ego mittam promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*; uti confirmat Melchiades Papa^d: *Spiritus Sanctus*,

¹ Martin Luther (1483-1546). Teologo e iniziatore della Riforma in Germania. Secondo la tradizione il 31 ottobre 1517 pubblicò le 95 tesi rivolte contro la prassi delle indulgenze, il preteso potere del papa sulle anime del purgatorio e la venalità della curia romana, e diede così avvio alla Riforma.

² Jean Cauvin (1509-1574), è stato, insieme a Lutero, il massimo riformatore religioso del Cristianesimo occidentale, anche se il suo pensiero, per molti versi, si distingue da quello di Lutero. Nel 1536 pubblicò la prima edizione della sua opera più significativa, la *Institutio christianae religionis*, e nel 1559 ne diede alle stampe l'edizione definitiva.

^a Sessio 7 *De confirmatione*.

^b A 8.

^c L 24, 49.

^d Relatum in Dist. 5, *De consecratione*, cap. 2. [La fonte è il *Decretum Gratiani*. Il passo è citato anche da San Tommaso d'Aquino, nella *Sum-*

qui super aquas salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Baptismo regeneramur ad vitam; post Baptismum confirmamur ad pugnam, in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur: ex quibus apertissime constare, inquit Divus Thomas, Confirmationem verum esse ac distinctum a coeteris Sacramentum.

III Jam vero Parochos persaepe monuimus non minimam eorum officii partem esse fideles instruere ac praesertim Confirmandos circa hujus Sacramenti partes ac praevias ad illud cum fructu suscipiendum dispositiones; nostram quoque de Confirmandis tantum pueris qui rationis usus adepti fuissent voluntatem aperuimus, quos iisdem Parochi hortarentur ut praemissa Sacramentali poenitentia, simul et Theologicarum virtutum actibus ad recipiendam propriam Confirmationis gratiam sese disponerent: *caro ungitur, inquit Tertullianus³, ut anima consecretur, caro signatur ut anima muniatur; caro manus impositione obumbratur ut anima spiritu illuminetur.* In quo sane Catechismi Romani normam sequuti sumus cujus haec sunt verba^e: *illud observandum est omnibus quidem post Baptismum confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint; quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre⁴ maxime convenit.*

IV Ab hac tamen regula, quam communiter huc usque servavimus servandamque Parochis nostris praescriptissimus, non raro recedere oportuit, quoties nobis periclitantes pueri oblatis sunt quos juxta Pontificale Romanum confirmandos duximus; cur enim in ejusmodi casibus generalem regulam deseramus, validissima ratio est gratia Sacramentalis qua sine

ma Theologiae, III^a q. 72 a. 1 co. Melchiades (o Miltiades), di origine africana secondo il Liber pontificalis, fu ordinato a Roma da papa Marcellino. Nel Catalogo Liberiano si legge che fu vescovo di Roma dal 2 luglio del 311 al 10 gennaio del 314].

³ Tert., *De resurrectione carnis*, 8, 3, cfr. Migne, PL 2, col. 806.

^e Pars 2 *De confirmationis [sacramento]*, num. 18. [*Catechismus ad parochos*, pp. 218-219, Patavii 1777].

⁴ **P** differre.

Confirmatione obeuntes pueri privarentur: *infantes per paternos confirmare volentes ante Pontificem teneantur in brachiis dextris*^f.

V Et quamquam neminem esse in hac Dioecesi jam adultum qui non hoc Sacramentum susceperit, pro certo habere possimus, certam nihilominus, quae fidelibus incumbit, obligationem Parochos exponere volumus Confirmationem recipiendi, ut hoc Sacramento quibusdam veluti armis instructi ac muniti adversus animae hostes fortiter dimicare valeant: *militia enim est vita hominis*, uti legitur apud Job^g, *super terram*; simul atque magnum, quod parentibus ac dominis incumbit, onus instruendi filios ac servos ut digne ac fructuose hoc Sacramentum suscipere possint, ne de illis merito dicatur: *qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior*^h.

VI In hoc Sacramento patrinus pro masculo, matrina pro foemina ex consuetudine interesse soletⁱ, nec plures eodem die pueri ab uno eodemque patrino suscipi possunt. In oppidulis tamen angustisque locis volumus proventus quosdam aetate viros et mulieres omnium omnino Confirmandorum paternos esse, ut incommoda non sane levia, quae ex impedimento cognationis spiritualis facile orirentur, de medio tolli auferrique possint.

VII Nequaquam ad id officium a Parochis admittantur non Confirmati aut qui Confirmandum puerum de sacro fonte susceperint, aut qui non fuerint integrae famae bonique nominis, sed ii tantum adhibeantur qui pro pia ac religiosa Confirmatorum institutione vigilare velint, seseque ad bene agendum fortiterque dimicandum in spirituali certamine magistros ac duces praebere possint.

VIII Volumus tandem caute servari et custodiri Confirma-

^f Idem titulo *De confirmationis [sacramento]*. Benedictus XIV, *De Syn. Dioec.*, 7, 10, 8-9 [p. 212, Romae 1755].

^g *Job* 7, 1.

^h *I T* 5, 8.

ⁱ *Pontificale Romanum, de Confirm<andis>* [p. 2, Romae 1752].

torum libros atque in iis omnium prorsus, qui hoc Sacramentum susceperint, quantocyus describi nomina praescripta a Rituali Romano formula ad apicem servata.

CAPUT VIII

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE

I *Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem^a, simul et cum hominibus in terris esse in deliciis habens, mirabilem ac divinum plane modum excogitavit quo vehementissimi, quo nos prosequeretur omnes, amoris sui specimen daret et ardentissimo versandi cum hominibus desiderio satisfaceret. Instituit ergo Eucharistiae Sacramentum, quo sub speciebus panis et vini Corpus et Sanguinem reliquit usque ad saeculi consummationem, quemadmodum aperte testantur scripturae quarum testimonia vero, germano ac literali, non methaphorico sensu accipienda esse contra Etherodoxos declaravit Tridentinum: accipiens Jesus, inquit Apostolus^b, panem et gratias agens fregit et dixit: accipite, manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.*

II Contra hoc augustissimum Sacramentum in manna veteris legis, in Agno Paschali et in pane, quo refectus Elias ad Oreb usque pervenit praefiguratum atque ab Apostolo Evangeliorumque Scriptoribus clarissime expressum, mirum est quae quantaque confixerint Novatores. Joannes Wicleffus panis et vini transubstantiationem in Corpus et sanguinem domini nostri Jesu Christi perfracte negavit. Calvinus realem Christi praesentiam in Eucharistia inficiatus est. Zuvigliani¹ meram fi-

^a J 13, 1.

^b 1 C 11, 23-25.

¹ Sono detti Zuingliani o Zwingliani i seguaci del riformatore svizzero Huldreich Zwingli (1484-1531). Gli snodi fondamentali dello Zuinglismo sono la concezione universalistica della fede cristiana, la maestà assoluta e unica di Dio creatore, la critica di tradizioni e sacramenti, il concetto soggettivistico della fede, la subordinazione della politica alla religione.

guram Eucharistiam asserere non erubuerunt. Haec atque alia hujusmodi commenta proscripita sunt ab Ecclesia praesertim in Tridentina Synodo, *Sessione XIII de Eucharistia*.

III Jam vero primis Ecclesiae saeculis, quibus pietas et charitas in Christi fidelibus maxime vigeat, ad sacram divini corporis et sanguinis mensam singulis illi diebus accedebant, *erant perseverantes*, legitur apud Lucam^c *in doctrina Apostolorum, in communione fractionis panis*, vel ut in versione Syriaca legitur *in communione Sanctae Ecclesiae*. Qui secus ab Ecclesiae ingressu arcebantur, ut apparet in Canone Apostolorum, vel ut alii credunt, Concilii posterioris aevi: *peracta consecratione omnes communicent qui noluerint Ecclesiasticis carere limitibus: sic enim Apostoli statuerunt et Sancta Romana Ecclesia*^d.

IV Verum progressu temporum, frigescente charitatis fervore, Communionem tribus tantum anni temporibus praecepit Ecclesia, Nativitatis scilicet, Paschae et Pentecostes^e. Quin imo, magis magisque imminuta in dies Christiana perfectione, Concilium Lateranense sub Innocentio III^f praescripsit ut semel saltem in anno, tempore videlicet Paschali, fideles omnes perfectum rationis usum adepti Eucharistiae Sacramentum reciperent, *alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur et moriens Christiana careat sepultura*.

V Curent ergo Parochi ut fideles sibi commissi grave hoc praeceptum adimpleant quod ut innotescat, solitam adhibeant cautionem, nempe schedulas iis distribuant qui ad sacram Eu-

^c A 2, 42.

^d Dist. 2, *De consecratione* [*Decretum Gratiani*, D. 2 de cons., c. 10].

^e Fabianus Papa et concilium Agathense anno 506. [Papa Fabiano (papa dal 236 al 250) stabilì l'obbligo di comunicarsi almeno tre volte all'anno, come si legge nel *Decretum Gratiani*, D. 2 de cons., c. 16. Tale prescrizione fu poi confermata nel 506 dal Concilio Agatense, can. 64. Il canone è riportato anche nel *Decretum Gratiani* C. 7, q. 1, c. 29].

^f In cap. *omnis ustriusq<ue> sexus*. [Lotario dei Conti di Segni (1160-1216), papa dal 1198, si prodigò per la riforma morale e della Chiesa, lottò contro le eresie e promosse la riconquista dei luoghi santi. Sotto il suo pontificato vennero effettuate la quarta crociata e quella albigese. Nel 1215 si celebrò il quarto Concilio Lateranense, cui Quasina fa qui riferimento citando la *Constitutio* 21].

charistiam accedunt, easque, elapso Paschali tempore, colligant. Quod si nonnullos Paschali praecepto minime satisfecisse deprehendant, private atque etiam publice, si opus fuerit, in Ecclesia, suppresso nomine commonefaciant, statutas a jure poenas comminantes. Ubi vero haec ad eorum emendationem haud sufficere videant, ad nos spectabit valida atque efficacia adhibere media ut gravissimae huic obligationi omnino satisfaciant.

VI Instruant quoque populos in constitutivis hujus Sacramenti partibus atque necessariis ad illud cum fructu suscipiendum dispositionibus, docentes quos ante quosque post Communionem elicere debent actus ut supernaturalia dona et superabundantem gratiam consequi valeant, quam ejusdem auctor Christus Dominus iis impertiri solet, qui, qua par est, reverentia, devotione ac charitatis fervore ad hoc Sacramentum accedunt. Assidue etiam fideles hortentur ut frequenter Eucharisticum panem recipiant, hac enim spirituali alimonia virtutes nutriuntur, expelluntur vitia, charitas augetur, contra vero, ex eo, quod semel aut raro per annum ad Eucharistiam accedant, sunt, ut inquit Apostolus, *multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi*[§].

VII Et quoniam ad Parochum spectat videre quinam pueri ad Eucharistiae susceptionem idonei sint, quos autem invenerit idoneos eos diligenter instruere volumus eum intra Paschatis hebdomadam, Pro-Parochis aliisque clericis adjutum puerorum nomina, qui debitam aetatem habuerint, requisitumque ad sacram Communionem rationis ac prudentiae lumen describere atque in hebdomadis subsequentibus eosdem in Ecclesiam convocare ut circa confessionem Eucharistiae praemittendam et Eucharistiam ipsam rite instrui possint. Cum autem illos sufficienter instructos perspiciet, ad confessionem primum, deinde ad Eucharistiam admittat, suggerens actus quibus devote ac ferventer magnum hoc Sacramentum, et prima vice suscipiant, et in futuris Communionibus utantur.

VIII Omnes fideles ad sacram Dominici Corporis participationem admitti debent nisi indigni et probabiliter indispositi

§ I C 11, 30.

appareant. Qua de ratione ab Eucharistica mensa excludendi omnino sunt excommunicati, interdicti, meretrices, concubinari, usurarii, magi, superstitiosi, blasphemii, publici peccatores, usque dum non indubia emendationis signa exhibeant.

IX Solliciti debent esse Parochi ut sacro Viatico reficiantur graviter aegrotantes, ne forte contingat ut vel ex hac vita decedant quin hoc salutari cibo fuerint roborati vel tunc pascantur, cum sensibus jam destituti integroque rationis usu, ad illud salubriter suscipiendum sese disponere non valeant. Rogamus ideo Parochos ut infirmos frequenter invisant eosque ad Confessionem Sacramentalem atque ad recipiendam devote Eucharistiam adhortentur, cum sana mente pollentes riteque dispositi debitum ex ea fructum capere possint.

X Quoties aegrotantibus administrandum erit hoc Sacramentum, curet diligenter Parochus ut majori, quo fieri potest, cultu, reverentia et honore, ad eosdem deferatur. Dato igitur campanae signo, populum in Processionem disponat, luminibus adhibitis precibusque a Rituali Romano praescriptis. Antequam communicet infirmum, praemissis Theologicarum virtutum actibus, ad veram perfectamque peccatorum detestationem ferventemque in Deum amorem inflammet, atque ad suscipiendam digne atque utiliter Eucharistiam disponat. Cum ad Ecclesiam redierit, fuis de more precibus de indulgentiis quas devote Dominicum Corpus comitantibus Summi Pontifices concessere, populum moneat benedictumque tandem demittat. Urgente vero necessitate vel intempesta nocte, privatim et modo ab eodem Rituali statuto gestandum erit.

XI Quoniam vero saecularibus in exercendis virtutum et religionis officiis exemplo esse debent clerici, hos vehementer obsecramus ut, cum sacrum Domini Corpus ad infirmos deferendum sit, illud devoto animi cultu ac reverentia comitentur. In solempni vero processione Corporis Christi omnes Ordinatos in sacris, talari veste et superpelliceo indutos, nisi legitimo aliquo impedimento fuerint irretiti, eidem interesse volumus, commissa Parochis cura denunciandi eos quos hac in re turpiter negligentes deprehendant.

XII In oratione quadraginta horarum quae, juxta lauda-

bilem Dioecesis nostrae consuetudinem, infra hebdomadam quinquagesimae atque infra annum, non raro, gravi urgente necessitate, fieri solet, volumus augustissimum Eucharistiae Sacramentum in altari majori exponi, et quae in eo sunt, simulacra, Imagines et Sanctorum Reliquias, vel amoveri alioque deferri, vel obduci velo, nullus ut irreverentiae locus esse possit. Facta expositione obscurari debent, si fieri possit, fores ac fenestrae Ecclesiae, et duo Sacerdotes seu sodalities confratres Sacrosanctam Hostiam, flexis genibus, adorent^h.

XIII Non possunt Regulares etiam in propriis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica quae probata sit ab Ordinario, ex causa autem privata possunt, dummodo Sanctissimum Sacramentum e tabernaculo non extrahatur et sit velatum, ita ut sacra hostia videri non possit. Hanc resolutionem licet in peculiari causa Neapolit^{ana}ⁱ emanatam, tamen velut generalem Regulam habet sacra Congregatio cui Regulares sese debeant conformare.

XIV Quae pluribus in Parochiis nostrae Dioecesis obtinuit laudabilis consuetudo vespere diei Dominicae populo benedictionem impertiendi, eam sedulo observari Parochis commendamus rogamusque illos ut singulis, si fieri possit, diebus populum benedicant, facto interim campanae signo, ut qui extra Ecclesiam sunt vel in eandem statim concurrere, vel etiam absentes Sacramenti benedictione quovis gaudere modo possint.

XV Curet Parochus ut sancta tabernacula ea sint munditie, cultu ac decore quo sanctum et divinum corporis et sanguinis

^h *Instructio circa exposit^{ionem} Sanctissimi Sacramenti*, Clemens XI, 21 Ianuarii 1705, confirm^{ata} ab invoc^{ationibus} Benedicti XIII et Clementis XII. [La cosiddetta *Instructio Clementina*, contenente il cerimoniale per le Quaranta ore di adorazione Eucaristica, fu pubblicata da Clemente XI il 21 gennaio 1705, per poi essere successivamente confermata anche dai successori Innocenzo XIII, Benedetto XIII e Clemente XII, il quale la pubblicò nuovamente il 1 settembre 1731].

ⁱ Sacra Congregazione 17 Augusti 1630. [Decreto della Sacra Congregazione del Concilio che vietava di estrarre la pisside durante l'esposizione privata all'apertura del tabernacolo].

Dominici pignus custodiri servarique decet. Velis sericis albis intus exornentur, parvam magnamque Pyxidem contineant, firmis clavibus obserentur, quarum unam Parochus alteram Pro-Parochi habeant, ut promptior atque expeditior², quacumque urgente necessitate, sit hujus Sacramenti administratio.

XVI Denique animadvertendum est ut singulis saltem hebdomadis, aestivo praesertim tempore, ne corrumpantur, sacra hostia et contentae in Pyxide particulae renoventur.

² *P expeditor.*

CAPUT IX

DE SACRIFICIO MISSAE

I Quemadmodum Eucharistiam, quatenus est spiritualis animarum nostrarum cibus, Sacramentum esse firmum est Ecclesiae Dogma^a, ita etiam, quatenus vera est Deo facta oblatio, in obsequium atque agnitionem supremi ejus in homines domini sacrificium esse Catholica fides docet: *sacrificium visibile*, inquit Augustinus, *invisibilis sacrificii Sacramentum est, idest sacrum signum*^b. Hoc sane praefiguratum novimus in oblationibus et sacrificiis veteris legis ac speciatim in pane et vino a Melchisedech oblato¹, quorum omnium mirabiles ac majores etiam in se continere effectus Apostolus aperte declarat his verbis: *si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?*^c

II Re enim vera, sicut in ara Crucis verum et cruentum sacrificium cujus Dominus Jesus Sacerdos ac victima simul fuit, Deo Patri oblatum est^d: *tradidit semetipsum pro nobis in oblationem et hostiam*; ita etiam super altare ministerio Sacerdotum verum ac proprium incruentum ejusdem victimae sacrificium offerri, et Patres communiter docent, et sacra Concilia definiunt ac praesertim Tridentinum Canonibus editis contra Apostolicae hujus veritatis obtrectatores.

^a *Catechismus Romanus, de Sacramento Eucharistiae* n. 69. [*Catechismus ad Parochos*, pp. 263-264, Patavii 1777].

^b Aug. *De Civ. Dei* 10, 5. [Cfr. Migne, PL 41, col. 282].

¹ Gn 14, 18.

^c Hb 11, 13-14.

^d E 5, 2.

III Hujus itaque divini mysterii praestantiam, dignitatem uberesque fructus fidelibus exponant Parochi, illosque salutaribus excitent verbis ut qua par est devotione atque reverentia eidem intersint. Piis ergo crebrisque concionibus edoceant nos hujus sacrificii oblatione Deo supremo omnium Domino, sub speciebus panis et vini latenti latria cultum exhibere, pro beneficiis acceptis collatisque donis gratias referre, cruenti sacrificii, quod semel in cruce oblatum est, memoriam repetere, divinam justitiam placare, supplicia ac penas peccatis nostris debitas avertere, auxilia, gratias et maxima tum spiritualia, tum etiam temporalia consequi bona, fidelium denique animis in Purgatorio detentis pie atque utiliter suffragari.

IV Sacerdotes autem in mentem revocent Apostoli verba^e: *sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, et eam teneant perfectam vivendi formam quae² dignos reddat, quantum humana patitur imbecillitas, sacro altaris ministerio. Hoc itaque sacrificium nequaquam conficiant, nisi prius sese ad illud, praemissis Theologicarum aliarumque virtutum actibus, rite disponant illamque in eodem absolvendo exhibeant animi corporisque compositionem quam Sanctum, quod exercent, officium ab iis exigere jure optimo videtur.

V Ad hanc obtinendam cordis puritatem ac fervorem non tantum lethaliū, juxta Tridentini praeceptum^f, verum etiam levium culparum assidua confessio quam maxime juvat, in quas pro humana fragilitate saepius in die cadere justum contingit. Quod si necessitas aut confessarii defectus Sacerdotes peccati lethalis (quod Deus avertat) reos celebrare cum solo Contritionis actu aliquando cogat, memores illi sint indictae a Tridentino obligationis quamprimum videlicet confitendi,

^e I C 4, 1.

² *P que.*

^f Sessio 13 c. 7.

quam perperam interpretatam a nonnullis fuisse Alexander VII³ duabus proscriptis Thesibus declaravit^g.

VI Curent diligentissime ea omnia et singula recte perficere quae Romani Missalis rubricis praescribuntur, quas, ut melius observent, bis intra annum perlegant, et dissertationibus de iisdem habendis singulis mensibus intersint; quemadmodum alias praecepimus ubi neglectas a multis fuisse reperimus. Rem sacram facientes et molestam segnitiam et nimiam celeritatem effugiant: Sacerdos enim sacrificat, non insultat.

VII Sacerdotes, suscepto a se celebrandarum Missarum oneri, quantocyus satisfaciant, nec novis sese obligationibus, nisi primam adimpleverint, unquam obstringant. Confessarii a poenitentibus Missas minime petant, omnique studio caveant ne vel minima avaritiae suspicio in Sacramenti administratione praebeatur. Volumus quoque, juxta Urbani VIII⁴ Decretum⁵, tabellam in Sacristia expositam haberi in qua Missarum annuarum onus et illius adimpletio manifeste appareat^h.

³ Fabio Chigi (1599-1667), papa dal 1655. Sostenitore dei gesuiti, lottò contro il giansenismo e intervenne nelle questioni dei riti cinesi in senso favorevole alle tesi missionarie. In politica estera entrò in contrasto aperto con il Mazzarino e Luigi XIV di Francia. Umanista e bibliofilo, lasciò una biblioteca, che dal suo nome fu poi detta Alessandrina.

^g Alexander VII, *Propositiones* 38 et 39.

⁴ Maffeo Barberini (1568-1644), papa dal 1623. Sostenitore convinto della suprema autorità della Chiesa e dell'autorità personale del papa, mise in opera numerose riforme all'interno della gerarchia ecclesiastica e potenziò l'Inquisizione. Fu uomo amante del fasto e gran mecenate, colto e umanista.

⁵ Decreto della Sacra Congregazione del Concilio *Cum saepe* del 21 giugno 1625.

^h Sanctus Carolus in *Instructiones ad Confessarios*, pars 4, *Acta Ecclesiae Mediolanensis* [p. 658, Patavii 1754]. Clemens XI, Congregatio S. Officij 14 Feb. 1709. [Le bolle e i decreti di Clemente XI attraverso i quali viene regolato lo svolgimento delle messe e in cui si prescrive l'esposizione di una *tabella onerum missarum* sono numerose, tuttavia nessuna è datata 14 febbraio 1709. Forse qui si vuole indicare il decreto *Una delle cure* dell'1 febbraio 1707. Gli altri decreti in cui Clemente XI affronta la questione sono datati 1 ottobre 1704, 23 dicembre 1706, 8 gennaio 1708 e 18 settembre 1719].

VIII Ut turpe lucrum in Missarum celebratione atque ambitum omnem effugiant, Conciliarem Tridentini sanctionem, confixas ab Alexandro VII theses, et Benedicti XIV Bullam prae oculis habeant quae sub censuris prohibet mercimonium super Missarum elemosynas statuitque ut ii, qui elemosynas colligunt iis in locis, in quibus eadem sunt majoris pretii, Missas vero celebrare curant, ubi pro minore stipendio celebrari solent, si laici sint, excommunicationem, si clerici vel Sacerdos, suspensionem incurrant, quarum absolutio Romano Pontifici sit reservataⁱ.

IX Circa stipendium sive legati sive Missae perpetuae praescriptam a dignissimo praedecessore nostro in sua Synodo normam confirmamus^j, iis etiam Missis comprehensis, quas Ecclesiae nostrae Cathedrali fideles reliquerint. In manualibus vero Missis consuetudinem servatam volumus, cui sese aptare debent Regulares, a qua, nisi sponte majus aliquid fideles obtulerint, recedere nullo modo debent.

X Praecipimus Neo-Presbyteris ut primam Missam in Ecclesia celebrent cujus servitio fuerant adscripti, obtenta prius a nobis facultate quam nunquam iisdem tribuimus nisi bene instructos eruditosque in sacris caeremoniis inveniamus. Caveant illi ne chorae atque alia hujusmodi fiant, quae cum ministerii tum etiam Ministri sanctitati incongrua esse nemo non videt.

XI Ab hoc sanctissimo altaris ministerio abstineri volumus qui sine talari veste celebrare praesumunt, item qui comas juxta prolixiores nutriunt nec tonsuram apertam gerunt, iis tantum exceptis qui itineris causa breviori veste induti et collare ferentes talarem adhibere non possunt^k.

ⁱ *Tridentinum*, Sessio 22 *De observandis et evitandis in celebratione Missae*; Alexander VII, *Propositiones* 8, 9, 10; Bulla *Quanta cura* 22, Tom. I Bullarium [SS. D. N. Benedicti papae XIV Bullarium, tom. 1, pp. 56-57, Romae 1746].

^j Cap. 3 *De stipendio missae* [Costituciones synodales del Obispado de Bosa dispuestas y ordenadas en la synodo a los 10 henero 1729, pp. 159-161, Cagliari 1729].

^k Divus Carolus, *Instructiones [pro] celebratione Missae*, Acta, pars 4 [p. 632, Patavii 1754].

XII Illos quoque potiori jure arcendos districte praecipimus qui publicum crimen admiserint aut notoria aliqua censura sive irregularitate fuerint irretiti¹. Peregrinos vero Sacerdotes et extraneos ad divina celebranda non admittant Parochi, nisi commendatitias sui Ordinarii literas *a duobus mensibus, si in regno, a sex mensibus, si extra regnum, a nobis vel a nostro Vicario Generali recognitas exhibuerint. Quod etiam a Regularibus suis in Ecclesiis observandum praecipimus. Si vero tales litterae fuerint antiquiores, testimonium de vita et moribus ab Ordinario, in cujus Dioecesi post illud permanserint, scriptum nobis ostendant: secus rei sacrae faciendae facultatem denegabimus^m.*

XIII Inter Missarum solemniam haud sinant Parochi ut preces, hymni atque alia hujusmodi canantur, quae ab Ecclesia probata aut veteri et communi consuetudine recepta non fuerint. Episcopo solemniter sacrum faciente, Sacerdos alius in eadem Ecclesia celebrare non audeat, donec peracto sacro de more populum benedixerit, nisi urgens necessitas aliud suadeat. *Quo in altari episcopus celebravit propter episcopalis dignitatis reverentiam, eodem die nullus celebret Sacerdos sine ejusdem Episcopi licentiaⁿ.*

XIV Noverint tandem omnes, qui privatis in aedibus Oratoria aut erecta jam habent, aut erigendi in posterum facultatem obtinebunt, eorundem usum omnino interdictum esse, nisi ea omnia et singula, quae in rescripto Pontificiae Concessionis praescribuntur, exacte ac diligenter observent.

¹ *Tridentinum*, Sessio 22, decret. *De observandis et evitandis in celebratione Missae.*

^m *Concilium Mediolanense, Acta*, pars 1; *Tridentinum*, Sessio 23. c. 8. [La citazione dagli *Acta* è libera, cfr. p. 8, Patavii 1754].

ⁿ *Concilium provinciale Turritanum, De Sacrificio Missae* [Decreta concilii provincialis Turritani, De Eucharistia, p. 41, Sassari 1641. In **P** si legge in grafia corsiva anche la frase precedente, da “*Episcopo*” a “*suadeat*”, che tuttavia non si legge nel Concilio Turritano citato].

CAPUT X

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

I Dominus ac Salvator noster Christus Jesus, fons infinitae bonitatis ac misericordiae, qui nos sacro Baptismatis fonte ablutos ad gratiam suam regenerare simulque Confirmationis Sacramento, quibusdam veluti armis instructos, ad certamen munire dignatus est, naturae fragilitatem commiserans qua et saepe in peccata labimur et acquisitam per Sacramenta gratiam amittimus, poenitentiae Sacramentum instituit: *sacerdotes sui ipsius Vicarios relinquens tamquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderunt, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronunciant*^a.

II Hoc Sacramentum instituit cum post resurrectionem suam insufflavit in Discipulos dicens^b: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*; quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos Apostolis et legitimis eorum successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit^c. Quare jure merito Novatianorum doctrinam proscripsit Ecclesia qui ejusmodi potestatem denegabant, et anathemate signavit prolatos contra hoc Sacramentum Hetherodoxorum errores^d.

III Jam vero quemadmodum hoc poenitentiae Sacramentum fidelibus omnibus qui post Baptisma, ob communis naturae fragilitatem quam vel inviti experimur, in peccata labuntur

^a *Tridentinum, de Poenitentia*, cap. 5 [Sessio 14].

^b *J* 20, 22-23; *Mt* 14, 19.

^c *Tridentinum, de Poenitentia*, cap. 1 [Sessio 14].

^d *Concilium Tridentinum* can. 8 [Sessio 14, *Canones de sanctissimo Poenitentiae Sacramento*].

vel in re vel in voto est absolute necessarium, dictum idcirco secunda post suffragium tabula, ita nedum inutile verum etiam iis noxium censendum est qui absque debitis dispositionibus ad illud accedere praesumunt.

IV Studeant idcirco Parochi circa eas quas tam salutare Sacramentum continet partes, commissos sibi populos diligenter instruere, diligens videlicet conscientiae examen quod Confessioni praemittant, veram intimamque peccatorum detestationem, constans firmumque propositum vitandi peccata, integram peccatorum accusationem et quam citius peragendam impositam a Confessario satisfactionem, eam praesertim quam sibi in medicinam acceptorum vulnerum indictam noverint. Nihil est quod majori studio curare debent Parochi quam ut fideles rite dispositi ad hoc Sacramentum veniant, quod unum spiritualibus morbis animique plagis medicamen ac solatium a Christo Domino constitutum est.

V Moneant ergo fideles omnes ut rite dispositi ad hoc Sacramentum tamquam ad certum et commune spiritualium aegritudinum medicamen frequenter accedant, nullamque in peragenda sibi imposita a Ministro poenitentia culpabilem moram interponant; quin et sine luxu nimioque ornatu, eam quae fidem, peccati odium conceptumque animi dolorem aperiat, modestiam, verecundiam, sanctumque pudorem in habitu atque in ore praeferant: *et armis depositis, si viri, capite velato, si mulieres, si vero Clericalis ordinis sint, sine superpelliceo aut alia sacra veste peccata sua confiteantur*^e.

VI *Hortentur etiam fideles ut opportune sacra Confessione sese muniant illi qui eo proficiscuntur, ubi sit mortis periculum vel ubi Confessarii copiam non sunt habituri: item si rem arduam et difficilem¹ sunt acturi, quod idem, transacta re, ad gratias Deo purius agendas facere persuadeant.*^f Illud tandem per-

^e Sanctus Carolus, *Instructiones [de Sacramento] poenitentiae, Acta*, pars 4. [Citazione parafrasata, cfr. p. 443, Patavii 1754].

¹ P *dificilem*.

^f Idem sanctus Carolus citatus [citazione parafrasata, cfr. *Acta* p. 441, Patavii 1754].

saepe repetant fidelibus ideo praesertim majorem adultorum partem damnatum iri, quod raro ac veluti inviti ad perennem hunc gratiae et misericordiae fontem accedant.

VII Majorem quoque diligentiam eo conferant Parochi ut commissi sibi fideles, si morbo aliquo corripiantur, ante diem tertium confiteantur, ne forte contingat ut eodem ingravescente integro sensuum et rationis usu destituti confiteri cogantur, nec debitum idcirco in tanto necessitatis casu, fructum percipere possint.

VIII Id facile obtinebunt, si medicis gravem obligationem ostendant commonendi infirmos tertio quo eosdem invisunt die, ut sacra Confessione sese muniant quod si facere omittant illos visitare desinant. Ita sane Summi Pontifices ac praesertim Sanctus Pius V² sub Canonicis etiam poenis expresse praeceperunt, quibus si obtemperarent medici, nec tam graviter, audito Confessionis nomine, angerentur aegroti, neque infructuose, ut persaepe contingit, hoc tam salutare Sacramentum suscipere.

IX Jam vero serio perpendant Confessarii quam sublimem, quam sanctum ministerium exercent, seseque constitutos esse intelligant divinae justitiae ac misericordiae ministros ac velut Deum inter et homines mediatores *honoris divini et animarum saluti consulentes*^g, ipsam denique Christi Domini personam exhibere, qui animas omnium nostras divini sanguinis sui pretio redempturus, nostrae carnis fragilitatem assumere et nostra peccata ferre dignatus est.

X Quod animo revolventes quantum in Domino possumus, illos hortamur ut, quae sanctissimo huic muneri respondeat, vitae rationem perpetuo teneant. Sint ergo irreprehensibiles, virtutem excolant, aliisque non tam verbo quam opere bonos mores vitaeque integritatem praedicent: *Sancti estote quia*

² Antonio Ghislieri (1504-1572) dominicano, papa dal 1566, fu teologo e inquisitore. Fece applicare con intransigenza i decreti tridentini e nel 1571 fondò la Congregazione dell'Indice. Si sforzò di migliorare i costumi e curò la pubblicazione del catechismo romano, del breviario romano riformato e del messale romano.

^g *Rituale Romanum, De poenitentiae sacramento* [p. 51, Romae 1617].

*ego Sanctus sum*³. Hinc ferventes Deo atque humiles in dies preces effundant ut, quo indigent in animarum regimine, divino lumine collustrentur, ne hoc orbatu ac destituti velut coeci palpantes tenebras in difficili⁴ atque aspera, quae ad coelum ducit, via aliis ducatum praestantes, in foveam et ipsi praecipites cadant.

XI Theologiae morum operam navent ut requisitam sibi scientiam adipiscantur, qua lepram a lepra secernentes, peccata gravia a venialibus distinguere, quae reservata sunt habentque annexam censuram, atque alia hujusmodi quae diligenter attendenda sunt cognoscere valeant. Ubi reservata deprehendant, vel ad superiorem auctoritatem absolvendi habentem poenitentes mittant, vel absolvant petita atque obtenta prius ab eodem venia quam in casibus nostrae auctoritati reservatis (quod non raro pro variis rerum ac personarum adiunctis satius ducimus) haud gravatim rogantibus confessariis concedemus. Hinc planum est quam necessarium sit Sacerdoti sanctissimum hoc munus exercenti, casus et censuras Pontifici Summo atque Ordinario reservatas perfecte nosse legesque simul in Synodis constitutas, ut illud adamussim implere et exequi valeat^h.

XII In imponenda vero poenitentibus satisfactione, prae oculis habeant poenitentias quas Canones poenitentiales praescribunt quasque Theologi suggerunt, nedum satisfactorias verum etiam medicinales, spectato numero ac gravitate peccatorum: *ne si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo alienorum peccatorum participes efficiantur*ⁱ. Pro Peccatorum ergo conditione et statu, eas imponant poenitentias quas ad tollendam peccatorum occasionem, ad extirpandos malos habitus, ad evellendam peccati consuetudinem, ad facilius obtinendam proximae occasionis fugam aptiores existima-

³ Cfr. la nota *b* al capitolo V.

⁴ *P difficili*.

^h Divus Thomas, *Super Sent.* lib. 4 d. 17. *Rituale Romanum, de Sacramento poenitentiae* [p. 52, Romae 1617].

ⁱ *Tridentinum*, Sessio 14 *De satisfact<ionis>* [necessitate et fructu, c. 8].

verint, ut integram perfectamque eorumdem emendationem ac salutem sibi jure merito polliceri possint.

XIII Ex hoc facile intelligent non minus solvendi quam ligandi potestatem sese habere^j, ac proinde non minus absolvere quam sine absolutione dimittere poenitentes et posse et debere, sive cum poenitentias sibi impositas adimplere omittant, sive cum iisdem adimpletis nullum emendationis indicium praesferant. Hinc deneganda est omnino absolutio iis qui debitum famae aut aliorum bonorum restitutionem facere nolunt, qui odia atque inimicitias fovent et communia benevolentiae denegant signa, qui praecipua fidei mysteria ignorant, qui voluntariam et proximam peccandi occasionem non deserunt, qui revelare in iis quibus tenentur casibus ac denuntiare recusant, qui publici peccatores habentur atque, ut uno verbo complectamur, iis omnibus quos indignos habendae absolutionis deprehenderit. Differri debet absolutio recidivis, consuetudinariis, in occasione proxima involuntaria constitutis, restituere quod possunt volentibus, donec reipsa huic oneri satisfecerint atque aliis hujusmodi de quorum dispositione certi moraliter esse non possunt.

XIV Poenitentes interrogaturi confessarii praescriptam a Rituali Romano normam sequantur. Hinc interrogare illos debent quampridem confessi fuerint, quamnam vitae conditionem teneant, ut peculiare quae iisdem incumbunt obligationes edoceant. Si quando peccatorum circumstantias in confessione declarandas poenitentes tacuerint, de iisdem interrogandi sunt, ut tota peccatorum malitia dignoscatur. Nunquam vero de complicibus quaerant aut poenitentes cogant ut illorum nomina revelent sub poenis nobis reservatis, normam sequentibus Benedicti XIV^k qui revelandos esse hujusmodi Confessarios jubet, poenitente in causa propria excepto.

^j Sessio 14 *De poenitentia*, can. 10 [*Canones de sanctissimo Poenitentiae Sacramento*].

^k In Apostolicis constitutionibus 7 Julii 1745, 2 Junii 1746 et 9 Decembris 1749. [Rispettivamente, bolla 134 *Suprema omnium*, SS. D. N. Benedicti papae XIV *Bullarium*, tom. 1, pp. 535-536, Romae 1746; bolla 8 *Ubi primum*, ibid., tom. 2, pp. 54-59, Romae 1749; bolla 13 *Apostolici ministerii*, ibid., tom. 3, pp. 102-106, Romae 1753].

XV In interrogandis vero pueris diligenter caveant ne quaedam peccata et quosdam quos adhuc ignorant peccandi modos aperiant, ne *curiosius, quam par est, investigantes in tentationis laqueos ipsi se injiciant*¹. Quod etiam cum adultis, in iis quae ad sextum Decalogi mandatum spectant, caute observandum est ne teterrimo hoc morbo, dum ipsi mederi volunt, alios seseque inficiant. Prae oculis habeant Bullam Gregorii XV *Universi*⁵, et Bullam Benedicti XIV *Sacramentum poenitentiae*⁶ poenasque ab iisdem Pontificibus contra sollicitantes Confessarios praescriptas^m.

XVI Laudabilem consuetudinem quam in nostra Dioecesi vigere novimus commendandam et confirmandam existimamus, ut Parochi initio Quadragesimae singula fidelium, qui praecepto Confessionis vel etiam Communionis satisfacere tenentur, describant nomina, ut de ejusdem adimplerione certo constare possit, quemadmodum praecepit Lateranense Concilium in capite *Omnis utriusque sexus fidelis*⁷, quod videre est titulo *De Sacramento Eucharistiae*. Monendum hic putamus praecepto annuae Confessionis nequaquam ab eo satisfieri qui Confessionem voluntarie nullam facit, atque idem adimplendum omnino esse etiam post elapsum tempus ab Ecclesia statutumⁿ.

XVII Parochos, Pro-Parochos coeterosque Confessarios toto pectore hortamur ut in festis profestisque diebus assidui sint in audiendis Confessionibus, paternam charitatem, facilitatem, benevolentiam verumque salutis poenitentium deside-

¹ *Rituale Romanum, De poenitentiae sacramento* [p. 53, Romae 1617].

⁵ Bolla 75 *Universi dominici gregis* del 30 agosto 1622. Cfr. L. TOMASSETTI ET COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM, *Bullarium Romanum Tomi XXIV*, tom. 12, p. 729, Augustae Taurinorum 1867.

⁶ Bolla 20 *Sacramentum Poenitentiae* del 1 giugno 1741, cfr. SS. D. N. *Benedicti papae XIV Bullarium*, tom. 1, pp. 50-54, Romae 1746.

^m 1741.

⁷ *Concilium Lateranense IV*, const. 21 *De confessione facienda et non revelanda a sacerdote et saltem in pascha communicando*.

ⁿ Propositio 14 ab Alexandro VII damnata.

rium ac studium exhibentes, eosque velut invitantes leniter ut sibi de hoc tam salutari remedio frequenter provideant. Hoc enim valde efficax est ut vitia radicitus evellantur atque exstirpentur, simulque virtutes et verae pietatis officia nutriantur in populis, augeantur in dies et confirmentur.

XVIII Induant superpelliceum ac stolam violacei coloris, prout consuetudo ac tempus postulat^o. Sedes Confessionalis sit in loco conspicuo patenti, cum crate perforata inter poenitentem et Sacerdotem, intus habens affixam reservatorum tabellam. Confessarius fidelium confessiones excipiens ea sit vultus, manuum totiusque corporis compositione, ut nullo penitus signo peccatum aliquod circumstantibus vel leviter indicare possit. Confessiones mulierum nec ante ortum incipiat nec protrahat post solis occasum, nisi aliud necessitas exigat, et luminibus adhibitis^p. Confessione audita, quae ad ejus utilitatem et emendationem aptiora existimat consilia ac remedia poenitenti dabit: tum imposita satisfactione, pro ejusdem statu et conditione, ad intimum sincerumque dolorem totis viribus excitabit atque ad suscipiendam cum fructu absolutionem rite disponet.

XIX Omnibus et singulis Confessariis prohibemus ne confessiones excipiant privatis in aedibus, excepto infermitatis casu, in quo etiam Regulares de excepta infirmi Confessione saltem per schedulam ipsius domo relictam Parochum monere omnino tenentur^q.

XX *Caveant Confessarii ne cum incertis personis restitutio facienda sit, eam sibi Missarum praetextu vel consanguineis, quovis alio colore approprient, sed pauperibus locisve piis pro poenitentis arbitrio applicandas relinquunt. Poenitentias pecuniarias non infligant, eas sibi vel eorum Ecclesiis applicando, sed*

^o *Rituale Romanum, De Poenitentiae sacramento* [p. 52, Romae 1617].

^p *Concilium provinciale Turritanum, De poenitentia, et Dioecesanum eodem titulo num. 4* [*Decreta concilii provincialis Turritani*, p. 26, Sassari 1641; *Constitutiones et decreta synodalia*, pp. 22-23, Sassari 1625].

^q Sanctus Carolus, pars 4, *Instructiones [ad] Conf<essarios>* [*Acta Ecclesiae Mediolanensis*, p. 659, Patavii 1754].

tantum piis operibus vel locis, nec etiam hujusmodi distributiones sibi committi procurent^f.

XXI Prae oculis habeant Confessarii gravissimam obligationem quam jura omnia illis imponunt servandi Sacramentalis sigilli, quod nullo unquam casu violare fas erit, simul et injunctas ab Ecclesia poenas iis qui ausi fuerint peccata in tribunali poenitentiae sibi detecta manifestare. In Concilio Lateranensi sub Innocentio III ejusmodi Confessarios, *non solum a Sacerdotali officio deponendos, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendos esse sancitum est^g*, et Sacra Congregatio universalis Inquisitionis sub poenis ejusdem arbitrio infligendis, docere vel ad praxim deducere sequentem propositionem vetat: *scientia ex Confessione audita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur^h.*

XXII Denique omnes et singulos Confessarios sive ad annum sive ad menses approbatos admonemus teneri eos, antequam praefixum approbationis tempus effluerit, nobis aut nostro Vicario Generali sese sistere, ut novum examen subeant novamque approbationem obtineant. Confessarii vero ad libitum sciant sese paratos esse debere ut, quoties nobis libuerit, illud ipsum periculum subire possint.

^f Idem Concilium Provinciale et Dioecesanum. Benedictus XIV, *De Syn. Dioec.* 5, 9, 6 et 5, 10 [*Decreta concilii provincialis turritani*, p. 26 (da “Caveant” a “relinquant”), Sassari 1641; *Constitutiones et decreta synodalia edita et promulgata in dioecesis Synodo Turritana*, p. 23 (da “Poenitentias” a “procurent”), Sassari 1625; *De Syn. Dioec.* pp. 138-139, Romae 1755].

^g Innocentius III in *Concilio Lateranense IV*, const. 21. Can. *Sacerdos*, Dist. 6 *de poenit.* [*Decretum Gratiani*, D. 6 *de poenit.*, c. 2].

^h 18 Novembris 1682.

CAPUT XI

DE CASIBUS RESERVATIS

I Illud semper in Ecclesia Dei persuasum fuit Summo Pontifici atque universis Episcopis facultatem competere coarctandi jurisdictionem absolvendi inferioribus Sacerdotibus, et pro ea qua pollent supra eosdem auctoritate, graviora quaedam atque atrociora crimina suo peculiari iudicio reservandi^a. Cum enim ad validam peccatorum absolutionem praeter potestatem ordinis iurisdictio requiratur, patet hanc ab iis ad quos attinet eandem impertiri, ad plura vel pauciora peccata aut extendi aut restringi posse, prout magis vel minus animarum saluti expedire iidem existimaverint.

II Hanc veritatem propugnavit Valdensis¹ contra Wiclef-fum^b, atque a Luthero denuo in dubium revocatam a summis certe viris, et ab Henrico VIII² antequam a fide deficeret, validissimis rationibus defensam confirmavit Tridentina Synodus contra sentientem Lutherum ejusque sactatores anathematizans canone XI: *si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit*^c.

^a *Tridentinum*, Sessio 14 *De poenitentia*, cap. 7 *De casuum reservatione*.

¹ Thomas Netter, detto Waldensis, fu un teologo cattolico inglese carmelitano vissuto tra il 1377 e il 1431. Partecipò ai concili di Pisa e Costanza e combatté i seguaci di Wyclif e i lollardi.

^b Tom. 2 *De Sacramentis*, cap. 149 [Thomas Netter, *Doctrinale antiquitatum fidei ecclesiae catholicae*, tom. 2, pp. 245-247, Venetiis 1571].

² Enrico VIII (1491-1547), re di Inghilterra dal 1509, nel 1534 diede vita alla Chiesa anglicana, della quale si fece proclamare capo.

^c Can. 11 *De poenitentia* [Sessio 14, *Canones de sanctissimo Poenitentiae Sacramento*].

III Licet vero hac reservandi peccata facultate quolibet tempore uti possint Episcopi, consuetudo tamen obtinuit eam potissimum suis in Synodis exercendi. Hunc igitur morem nos quoque insequentibus, neque recedentes ab iis quae Sacra Congregatio suggerit, praesertim in Encyclica ad Episcopos data^d sequentes casus in hac nostra Synodo reservados volumus.

CASUS RESERVATI IN DIOECESI BOSENSI

I

Blasphemia in Deum, Sanctissimam Virginem et Sanctos. Magiae, maleficia, divinationes et superstitiones.

II

Homicidium voluntarium per se vel per alium consulendo, mandando vel ad illud cooperando.

III

Abortus foetus etiam inanimati, ad eundem cooperatio et sterilitas procurata.

IV

Incestus in primo et secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis.

V

Bestialitas, sodomia, raptus et stuprum violentum.

VI

Publicus concubinatus.

^d Benedictus XIV 5, 5, 4 [*De Syn. Dioec.*, pp. 122-123, Romae 1755. Oltre a tale citazione, in P sono riportate le date di due Decreti della Congregazione dei Vescovi e Regolari (9 gennaio 1601 e 26 novembre 1602) e di uno della Sacra Congregazione del Concilio (29 novembre 1661), cui si fa riferimento nel passo citato del *De Syn. Dioec.*].

VII

Perjuriū in iudicio cum damno vel sine damno tertii.

VIII

Satorum, vinearum aut olivetorum defructio consulto, cum animalibus vel aliter, et incendium domorum, fructuum et similium, seu praebitum ad ea consilium.

IX

Furtum aut injusta detentio bonorum Ecclesiarum aut causarum piarum, aut occultatio testamentorum vel instrumentorum earumdem Ecclesiarum.

X

Furtum bovis domiti.

XI

Decimarum defraudatio ob deductionem etiam solutionum, expensarum vel seminis, et eandem consulentes.

XII

Copula inter sponso ante celebrationem matrimonii, consensus vel permissio parentum aut curatorum ad eam.

IV Ab his casibus nobis reservatis nemo unquam absolute praesumat, nisi nostra facultate communitus fuerit, quam Canonico Poenitentiario concedimus dabimusque libenter Parochis ut verecundiae, famae ac poenitentis saluti melius consulamus. Potest tamen absolute quilibet Confessarius directe in articulo mortis, perseverante onere restituendi aut satisfaciendi, si pars fuerit laesa.

V Porro, ut Confessarii tutius hac in re sese gerant, officium erit Parochorum in iis, quae ad Casuum reservationem spectant, illos diligenter instruere, ut fideles ejusmodi Casibus impliciti eorundem absolutionem et salutarem a Deo veniam referre valeant.

VI Denique Regulares omnium ordinum commonemus

teneri eos in propriis sedibus Confessionalibus, Casuum Episcopo reservatorum notulas affigere, uti superius praecipimus^e: neque posse ab iisdem absolvere, juxta Bullam Clementis X quae incipit *Superna*³, et propositionem duodecimam inter confixas ab Alexandro VII.

^e XVIII, *De Sacramento poenitentia* [supra].

³ Bolla papale 10 *Superna magni* del 21 giugno 1670. Cfr. L. TOMASSETTI ET COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM, *Bullarium Romanum Tomi XXIV*, tom. 18, p. 55, Augustae Taurinorum 1869.

CAPUT XII

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

I Sacramentum Extremae Unctionis, quo aegrotans in certis corporis partibus ad peccatorum remissionem et virium robur oleo inungitur, per quam unctionem interior animae unctio significatur, institutum fuit ab auctore salutis nostrae caeterorumque Sacramentorum institutore Christo Domino, quemadmodum Evangelium Marci significat^a: *et euntes praedicabant ut poenitentiam agerent, et Daemonia multa ejiciebant et ungebant oleo multos aegros et sanabant*, promulgatumque fuit praesertim a Divo Jacobo^b: *infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.*

II Tridentini Patres ex allegatis Sancti Jacobi verbis colligunt nobisque pandunt hujus Sacramenti materiam, formam, ministrum et effectus: *quibus verbis, ajunt, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum hujus salutaris Sacramenti; intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum, nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur repraesentat; formam deinde esse illa verba: per istam unctionem etc.*^c Quae quidem doctrina Patrum declarata fuit a sacro Concilio in Canonibus quos edidit contra Novatores.

III Erit Parochorum munus commissam sibi plebem in iis, quae ad hoc Sacramentum spectant, frequenter instruere eidemque fructus atque utilitates quas parit maximas perspicue exponere. Hoc enim Sacramentum Spiritus Sancti gratiam con-

^a Mc 6, 12-13.

^b Ja 5, 14-16.

^c Sessio 14 De Sacramento extremae unctionis, cap. 1.

fert, peccata dimittit, eorumque maculas abstergit, aegroti animam subleuat ac recreat, in spem erigit Divinae misericordiae viresque sufficit, quibus et morbi vim atque dolores patienter ferre, et validissimis infensissimi animarum hostis tentationibus resistere viriliter possit^d. Clementissimus enim Redemptor noster, qui fideles quovis tempore suos salutaribus auxiliis adversus omnium hostium conatus firmavit et aptissima in aliis Sacramentis praebuit remedia, quibus illi ab omni hostili impetu sese, dum viverent, tuerentur, Sacramento Extremae Unctionis vitae nostrae exitum, quo tempore immundi Spiritus omnes ad nos perdendos deturbandosque ab aeterna felicitate vires exercent, tamquam firmissimo praesidio munivit.

IV Jam vero districte praecipimus ut Sacerdos hoc Sacramentum administraturus, superpelliceo et stola violacea indutus comitatusque aedituo seu sacrista, cum Cruce, linteo amictu et lumine incedat, riteque observans a Rituali Romano praescripta nullam ex debitis unctionibus omittat, *excepta unctione renum in foeminis propter sexus pudorem et decentiam, et in viris qui sine gravi incommodo moveri non possunt; nisi necessitas cogat, ut unica tantum unctio fiat, quae consultius fieri debet in capite, a quo sensuum omnium nervi descendunt, formam universalem pronuntiando*^e. Advertendum tamen Sacerdotibus non interne, ut laicis fieri solet, sed externe sancto oleo liniendas esse manus.

V Porro antequam Sacramentum administret, omni studio curet ut infirmus fidei, spei, charitatis et contritionis actibus ad recipiendum illud cum fructu se pie disponat, et circumstantes dum ille sacro oleo inungitur, pro ejusdem salute genuflexi preces fundant. Deinde vehementer excitet ut pro tanto beneficio Deo gratias agat, divinae voluntati libenter pareat, spem concipiat divinae misericordiae ardensque futurae vitae desiderium atque internam animae pacem, perseverantiae donum aeternamque felicitatem exposcat. Discedens secum afferat gossipium seu bambacem qua oleum abstersit atque exurat.

^d *Tridentinum*, eadem Sessio cap. 2.

^e Benedictus XIV 8, 3 *De Sacramento extremae unctionis* [*De Syn. Dioec.* 8, 3, 2 p. 241 e 8, 3, 5 p. 242, Romae 1755].

VI Quemadmodum vero Parocho aut Sacerdote adprobato deficiente, ubi necessitas urgeat, quilibet Sacerdos Confessionem excipere potest, ita, si Parochus impeditus fuerit, Sacerdos omnis etiam Regularis, instante periculo, Extremae Unctionis Sacramentum administrare potest. Ita Sanctus Carolus^f praecepit: *ne alius Sacerdos nisi Parochus hoc Sacramentum ministret: si porro is impeditus aut alius in mora est mortisque periculum instat, tum Sacerdos alius ministret.* Extra necessitatem vero nullus Sacerdos sive saecularis, sive regularis, uti patet ex Clementina unica de privilegiis, illud administrare praesumat nisi expressam a Parocho facultatem obtineat.

VII Animadvertendum est nonnisi mortis periculo laborantibus ministrari hoc Sacramentum posse, neque iterandum esse eadem in infirmitate nisi infirmus convaluerit et postea in novum mortis periculum relabatur. *Quapropter administrari debet vulneratis ad mortem, senio confectis in diem morituris, etsi aegroti non sint, non tamen infantibus vel pueris usu rationis carentibus, neque furiosis amentibusque toto vitae tempore, insania laborantibus, nec excommunicatis, interdictis, impenitentibus, mulieribus in partu, proelium inituris, peregrinationem vel navigationem suscepturis, et alia id genus pericula subituris, neque demum reis qui mox ultimo sunt supplicio afficiendi^g.*

VIII Perlegant frequenter Parochi quae circa hujus Sacramenti administrationem a Rituali Romano constituta sunt, ut pro variis qui occurrere possunt casibus rite procedant. Curent etiam diligenter ut pura ac munda sacra vasa serventur sanctumque oleum in promptu sit, nulla ut interposita mora quovis illud tempore ministrent.

IX Denique caveant ne quis ex hac vita in aeternam migraturus, tam salutari praesidio destituatur aut suscipiat, cum rationis sensuumque usu carens, se ad illud piis actibus disponere nequeat. Cum enim certum sit per hoc Sacramentum non

^f *Concilium Mediolanense* 5, pars 1, *Acta* [citazione parafrasata, p. 213, Patavii 1754].

^g Divus Carolus, loco citato [*Acta Ecclesiae Mediolanensis*, pars 4, *Instructiones de sacramento Extremae Unctionis*, p. 463, Patavii 1754].

solum peccata venialia, sed etiam, uti fert communis Theologorum opinio, per accidens lethalia remitti, sane patet suscipientes ad peccatorum detestationem coeterosque actus prius esse totis viribus excitandos. *Gravissime enim peccant, inquit Catechismus Romanus^h, qui illud tempus aegroti unguendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat: constat enim ad uberiores Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, cum in eo adhuc integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur.* De praestanda ex hac vita exeuntibus assistentia agendum inferius, ubi de Parochis speciatim instituendus fermo erit.

^h *De extr<ema>unctione, 9 [Catechismus ad Parochos, p. 320, Patavii 1777].*

CAPUT XIII

DE SACRAMENTO ORDINIS

I Ordo generice quemdam gradum sive dignitatem aut quemdam personarum statum significat a caetero populo et plebe distinctum. Qua de ratione qui e Christianis ad sacra munera et divina mysteria vocati sunt, quemdam distinctum ordinem constituunt electorum videlicet in sortem Dei et ministerii illius.

II Ac revera cum firmissimum sit in Ecclesia Catholica, ex Domini institutione, Sanctum esse Eucharistiae Sacrificium, externum quoque et visibile Sacerdotium, quod ab illo seungi nullo modo potest in eadem inveniri, inficiari nemo potest. Jam vero Sacerdotii dignitas postulabat ut plures et diversi essent Ministrorum ordines qui eidem ex officio deservirent, ita ordinate dispositi, ut qui jam clericali Tonsura initiati essent, per minores ad majores ordines gradum facerent, donec ad Sacerdotium ipsum, ad quod caeteri inferiores ordines referuntur, tandem pervenirent. Audiatur Dionysius, *De Ecclesiastica Hierarchia*¹: *caelestis Hierarchia ab eo instituta est ut variis distincta gradibus, alii aliis superiores sint, alii in alios influant, alii alios illuminent: quod simili modo in Ecclesia stabiliri ab eodem utriusque auctore decuit*. Quapropter sicut in Ecclesia triumphante Angeli sunt ordine ac potestate differentes, qui injuncta sibi munera decenti dispositione obeunt ac fideliter exequentur, sic militans etiam Ecclesia, quae Domus Dei velut castrorum acies quaedam ordinata est, Ministros habet sibi peculiare a reliquis

¹ Quasina sembrerebbe citare il sesto capitolo del *De Ecclesiastica Hierarchia* dello Pseudo-Dionigi, tuttavia la citazione letterale rimanda al settimo trattato del *Candelabrum Mysticum* di Jacques Marchant (1587-1648), predicatore e teologo fiammingo. Si veda JACOBUS MARCHANTIUS, *Hortus Pastorum*, p. 732, Coloniae Agrippinae 1699, in cui Marchant spiega la similitudine tra gerarchia ecclesiastica e celeste e cita in nota il sesto capitolo del *De Ecclesiastica Hierarchia*.

Christianis sejunctos et pulchro ordine inter se dispositos ad publica et communia Ecclesiae ministeria in terris peragenda.

III Quae omnia licet verissima sint apertisque scripturae testimoniis ac perpetua traditione comprobentur, nihilominus impugnare ausi sunt Lutherus, Kemniti², Illyricus³ eorumque sectatores, nihil intentatum relinquentes quominus Ecclesiasticam Hierarchiam de medio auferrent. Itaque inficiati sunt Ordinem vere ac proprie esse novae legis Sacramentum et Laicis auctoritatem, et officium Sacerdotale tribuerunt, Ecclesiasticam Hierarchiam distinctosque ministrorum gradus commiscentes, quibus Ecclesia Dei fideles moderatur ac regit, verisque praebet ministris facultatem consecrandi, offerendi sacrificia et Sacramenta administrandi, contra quos Tridentina Synodus^a, sacramentorum litterarum auctoritati, Apostolicae traditioni, unanimesque Patrum consensui inhaerens, declaravit Ordinationem sacramentum verum esse Sacramentum et in ea per visibile signum gratiam et potestatem Ordinato conferri ad munus, cui in Ecclesia destinatur, rite gerendum, novam Haereticorum doctrinam octo editis canonibus proscribens.

IV Porro quae Doctores inter Catholicos hac de re moventur, quaestiones ne leviter quidem attingentes, veram firmamque Ecclesiae doctrinam in eodem Concilio statutam declaramus^b septem videlicet in Ecclesia esse distinctos Ordinum gradus, Ostiarii, Lectoris, Exorcistae, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, quorum primi quatuor minores, alii majores et sacri vocantur. Hinc liquet quanta cordis puritate ac religione ad divina haec mysteria accedere debent qui sese a Deo vocatos esse sentiant. Quin et cum nonnulli Canonistae vel primae tonsurae veram Sacramenti rationem adscribant, qui hac initiuntur lethalis culpa conscii, temeritatis notam nequaquam effugient.

² Nome latinizzato di Martin Chemnitz, teologo e religioso tedesco, vissuto tra il 1522 e il 1586, tra i protagonisti della Riforma protestante.

³ Nome latino del teologo croato Matija Vlačić, vissuto tra il 1520 e il 1575. Luterano dissidente, elaborò una teologia denominata 'flacianismo'.

^a Sessio 23, cap. 1 et seq.

^b Sessio 23, cap. 2.

Certe cuilibet nefas videtur inter Ecclesiae Ministros cooptari sacrisque addici ministeriis qui actu est daemonis servituti alligatus. *Qui autem vel ipsa, ait Hieronymus^c, pars Domini est, vel Dominum partem habet; talem se exhibere debet ut ipse possideat Dominum, et ipse possideatur a Domino.*

V Quamobrem ad Parochos spectat Sacramenti hujus virtutem, effectus ac dignitatem fidelibus exponere eosdemque monere ut sanctos Dei ministros reverentia et honore prosequantur, nulloque alio fine, praeterquam Deo et ejus Ecclesiae inserviendi, ad eligendum hoc vitae genus moveantur.

VI Hinc Sancti Caroli vestigiis inhaerentes^d, volumus Parochos nostros hortari populos ut nonnullis ante sacram Ordinationem diebus humiles ferventesque Deo preces effundant: *qui Dominus est messis, ut mittat operarios in messem suam; dum jejunia quator temporum eo potissimum instituta videntur esse ab Ecclesia, ut hac pia corporis castigatione, et poenitentiae operibus a Deo digni ministri Ecclesiae impetrentur: ideoque jam pridem in Ecclesia institutum, extra haec jejuniorum tempora, Ordinationes fieri non posse; adeo ut contrariam consuetudinem reprobaverit, tamquam abusum et corruptelam Alexander III scribens ad Episcopum Herfodiensem in capite sane de tempore ordinis^e.*

VII Omnibus et singulis ad Sacros Ordines promoveri cupientibus praecipimus ut ante mensem sese nobis sistant, ut natalium suorum doctrinae ac morum a Parochis scholarum praeceptoribus aliisque, ad quos spectabit, testimonia desumamus. Nonnisi enim eos ad Ordines promoveri et possumus et volumus, qui ingenio, doctrina integrisque moribus insigniti fuerint. Hinc et examen subire ante Ordinationem et sancta

^c Benedictus XIV, *De Syn. Dioec.* 10, 6, 1 [Si tratta di un passo di Girolamo tratto dall'*Epistula ad Nepotianum*, 52, 5, cfr. Migne, PL 22, col. 531. Nel passo citato del *De Syn. Dioec.* (p. 359, Romae 1755) si legge, tuttavia, un passo diverso del quinto paragrafo della medesima epistola].

^d *Concilium Mediolanense IV, Quae pertinent ad Sacramentum ordinis* [Acta Ecclesiae Mediolanensis, p. 123, Patavii 1754].

^e Van Espen, *De sacramento ordinis* XXX [Z. B. VAN ESPEN, *Ius ecclesiasticum universum*, pars 2, 9, 4, 30, p. 392, Coloniae Agrippinae 1702].

Dei exercitia praemittere debent, ut ad sacra quibus destinantur mysteria rite obeunda sese disponant^f.

VIII Jam vero qui Clericali militiae adscribi volunt, ea debent esse scientia instructi, quam Tridentinum et sacri Canones aperte praescribunt. Hinc nonnisi eos prima tonsura initandos perque minores ad sacros Ordines promovendos ducimus, quos propriam et congruam cuique Ordini habere scientiam, periculo apud nos facto, dignoscamus, coeteros tamquam sacro quod postulant officio indignos repellemus. Atque, ut aliquid de iis qui ad Sacerdotium ascendere cupiunt speciatim dicamus, eam ab iis doctrinae copiam ac scientiam exquirimus, qua instructi cum nobis placuerit Confessarii munus rite suscipere et cum animarum utilitate exercere possint.

IX Porro ad primam tonsuram accedentes ea omnia districte observare jubemus quae Clemens XIII⁴ piissimae voluntati obsecundans Augustissimi Regis Caroli Emmanuelis felicitis memoriae in instructione ad Episcopos Sardiniae data rectissime praescribit^g.

X Quemadmodum vero, juxta Tridentinum^h, omnes Ordinatores Ecclesiae alicujus servitio semper adscripsimus, ita et in posterum volumus adscribendos, in scriptis ulterius accepto Ecclesiae nomine simulque proprii cujusque fungendis in eadem muneribus, quae nisi iidem diligenter exercent, sibi omnem aditum ad superiores Ordines interclusum invenient.

^f Benedictus XIV, *Institutio* 104 [BENEDICTI XIV, *Institutiones Ecclesasticae*, p. 674, Romae 1750].

⁴ Carlo Rezzonico (1693-1769), papa dal 1758, affrontò in particolare la questione dei gesuiti. È ricordato anche per aver fatto coprire le nudità delle statue in Vaticano.

^g 14 Januarii 1761; Edict<o> 12 Februarii ejusdem anno. [All'interno dell'editto del 12 febbraio 1761, che si legge in calce al sinodo, è riportato il breve apostolico del 14 gennaio 1761. Cfr. anche A. BARBERI, R. SEGRETI, A. SPEZIA, *Bullarii Romani continuatio, Tomi XIX*, tom. 2, pp. 48-55, Romae 1837].

^h Sessio 23 *De reformatione*, c. 16.

XI Quum ex eodem Tridentino Concilio certum fir-
mumque sitⁱ, non solum eos qui beneficio sive Capellania gau-
dent, verum etiam qui patrimonium aut annuam pensionem
obtinent, ad Ordines admitti posse ob Ecclesiae necessitatem
atque utilitatem; tum idcirco, quos vere patrimonium aut pen-
sionem possidere noverimus in hac nostra Dioecesi, quae sacro-
rum inopia ministrorum profecto laborat, eos Clericali militiae
facile adscribemus. Hoc vero patrimonium et constitui ex bonis
immobilibus, et vere ac realiter possideri debet sitque etiam hu-
jusmodi, ut mille et quingentis libellis aestimatum annuam no-
naginta libellarum pensionem reddere facile possitⁱ. Declaramus
tamen juxta laudatam instructionem dimidiam saltem hujus
summae partem etiam ad tonsuram ac minores ordines requiri.

XII Quae omnia ut nobis certo constant nullamque pror-
sus fraudis dolique suspicionem relinquunt, volumus bona ea-
dem ex quibus sit constituendum patrimonium a peritis harum
rerum viris pretio aestimari, jurejurando ante et post bonorum
aestimationem ad veritatem aperiendam a Notario obstrictis;
quod juramentum donanti pariter et donatorio, ne fraus aliqua
aut tacita aliqua pactio (quod non unquam contingere solet)
interesse possit, ab eodem Notario ante et post actus stipula-
tionem dari debet, ante Ordinationem quoque, ut tutius procedamus
coram nobis aut nostro Vicario Generali iterandum ut,
post solitas proclamationes a Tridentino praescriptas^k, verum
esse non fictum quiete ac pacifice patrimonium ab Ordinando
possideri indubitanter affirmare possimus.

XIII Atque hic illud etiam addendum putamus eos scili-
cet, qui ficto patrimonii titulo ad Sacros Ordines suscipiendos
accedunt, suspensionis poenam summo Pontifici reservatae,

ⁱ Sessio 21 *De reformatione*, c. 2. Pallavicini *Historia Concilii Tridentini* 17, 9 [Cfr. PIETRO SFORZA PALLAVICINO, *Istoria del Concilio di Trento*, tom. 3, p. 49, Roma 1664].

^j Sacra Congregatio 29 Novembris 1670 [Decreto della Congregazione dei Sacri Riti].

^k Sessio 21 *De reformatione* c. 2.

prout in decreto Sacrae Congregationis expressum legitur, incurrere¹.

XIV His positis Ordines a proprio Episcopo suscipiendi sunt. Proprii autem Episcopi nomine non solum Episcopum originis, sed domicilii et beneficii Episcopum venire jus Canonicum declarat confirmatque Innocentio XII⁵ in bulla quae incipit *Speculatores domus Israel*⁶. Regulares vero ab Episcopo domicilii seu Conventus, in quo degunt, ordinari debent. Quod si ab alio Episcopo sacros Ordines suscipere velint, facultate a superioribus suis obtenta, ea omnia rite observent quae, a Clemente VIII⁷ praescripta⁸, Regularibus ipsis nota jubet ab Episcopis fieri Benedictus XIII in Concilio Romano^m.

XV Omnibus Ordinatis ne iis quidem exceptis, qui prima tantum tonsura initiati sunt, districte praecipimus ut in habitu et tonsura incedant, quin et superpellicem habeant propriam, quo sacris Ecclesiae functionibus inservire et sancta, quibus destinati fuerint, munera exercere cum dignitate possint.

¹ 27 Novembris 1610, Benedictus XIV *Notificatio* 26. [Il decreto della Sacra Congregazione del Concilio è riportato nelle *Institutiones Ecclesiasticae* di Papa Benedetto XIV, traduzione latina della *Raccolta di alcune notificazioni, editti e istruzioni, pubblicate per il buon governo della sua Diocesi dall'Em.no e Rev.mo Sig. Cardinale Prospero Lambertini*, cfr. *Institutiones Ecclesiastiche*, 26, 16, p. 164, Romae 1750].

⁵ Antonio Pignatelli (1615-1700), papa dal 1691. Il suo pontificato fu contrassegnato dall'impulso alle attività assistenziali e dallo zelo riformatore nei costumi. P XIII.

⁶ Bolla papale 97 del 4 novembre 1694. Cfr. L. TOMASSETTI ET COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM, *Bullarium Romanum Tomi XXIV*, tom. 20, pp. 662-666, Augustae Taurinorum 1870.

⁷ Ippolito Aldobrandini (1536-1605), papa dal 1592. Contrastò brigantaggio e malcostume e fu un fervente riformatore e difensore intransigente del dogma (sotto il suo pontificato, nel 1600, venne condannato Giordano Bruno). Nel 1592 fece pubblicare una nuova edizione ufficiale della Vulgata, la cosiddetta "Clementina".

⁸ Decreto di Papa Clemente VIII *Circa Ordines a regularibus suscipiendos*, 15 marzo 1595.

^m *De regularibus*, c. 2 [cfr. *Concilium Romanum in sacrosanta Basilica Lateranensi celebratum*, pp. 85-87, Romae 1725].

XVI Denique quoad Clericos in minoribus Ordinibus constitutos addendum superest, non nisi eos, qui ea quae a Tridentino praescripta sunt, rite observent datumque a nobis de eorumdem observantia testimonium ostendere possint, atque ideo in tabella, quae in Sacristia Cathedralis Ecclesiae servatur, lagantur inscripti, juxta Clementis Papae XIII Instructionem in istjus Regni beneficium emanatamⁿ, quae ad calcem Sinodi legitur, Clericorum privilegiis atque immunitatibus gaudere posse^o.

ⁿ 14 Januarii 1761 [Cfr. supra, nota g].

^o Sessio 23, *De reformatione* [c. 6].

CAPUT XIV

DE SACRAMENTO MATRIMONI

I Matrimonium, quod est viri et mulieris maritalis conjunctio individuum vitae societatem continens, in ipso conditi orbis primordio a Domino institutum fuisse sacra Scriptura testatur^a: *non est bonum, inquit, hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi*; immisso igitur sopore in Adam, unaque de costis ejus sublata, produxit ex ea mulierem quam duxit ad virum Matrimonii vinculo indissolubili conjungendam. Hoc sane parens humani generis divino lumine collustratus agnovit^b, quum pronunciavit: *hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est; quamobrem relinquet homo Patrem et Matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*. His verbis Adam divinitus edoctus promulgavit Matrimonii legem et societatem indissolubilem divino decreto firmatam.

II Hoc vero Matrimonium, quod hominum pravitate et malitia falsisque Judaeorum interpretationibus a divina institutione desciverat, reformavit in lege Evangelica Christus Dominus, falsamque polygamiae ac repudii doctrinam rejiciens, Matrimonii vinculum firmavit; quin et ad Sacramenti dignitatem elevavit, quo naturalem amorem perficeret, firmum atque indissolubilem nexum confirmaret, et Spiritus Sancti gratiam infunderet ad spiritualem animorum sanctificationem ac significationem unionis Christi cum Ecclesia. *Hoc Sacramentum*, ajebat Paulus¹, *magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia*. Circa tempus institutionis a Christo factae non omnino conveniunt Catholici Doctores: alii enim in nuptiis Canae Galilaeae, alii tum hoc Sacramentum a Christo institutum censent,

^a Gn 2, 18.

^b Ibid. [Gn 2, 23-24].

¹ E 5, 32.

cum post illa Genesis verba: *relinquet homo Patrem et Matrem, subdidit: quod ergo Deus conjunxit homo non separet*².

III Non defuerunt tamen Haeretici, qui perperam de hoc Sacramentum senserunt pluraque a vera et Catholica Doctrina aliena more suo commenti sunt. Tatianus³, Justini Martyris discipulus, Haeticorum, qui Continentes dicti sunt, princeps abstinendum a nuptiis pronunciauit teste Irenaeo^c: contra quos loquutus videtur Apostolus dicens: *in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinae Daemoniorum, in Hypocrisi loquentium mendacium, et prohibentium nubere*^d. Eumdem errorem sequuti sunt Manichaei et alii dicti Arcontici⁴ de quibus ait Epiphanius⁵: *qui matrimonium contrahunt, eos opus Satanae explere dicunt adduntque dimidiam hominis partem esse Dei, dimidiam Diaboli*⁶. Haud aliter errarunt Adamiani⁷ atque Anabaptistae⁸; quorum

² Mt 19, 6; Mc 10, 9.

³ Taziano, vissuto all'incirca tra il 120 e il 180 d.C., fu un teologo e filosofo siriano. Allievo di Giustino Martire, si staccò dalla chiesa cattolica per promuovere il movimento encratita, corrente rigorista che rifiutava l'unione sessuale e la procreazione e praticava l'astinenza alimentare.

^c Lib. 1, cap. 28 [*Contra Haereses*, cfr. Migne, PG 7, col. 690].

^d I T 4, 1-3.

⁴ Setta gnostica del IV secolo che predicava asceti, digiuno e povertà come mezzi per raggiungere la gnosi. Negava la resurrezione del corpo e condannava i Sacri Misteri e il Battesimo.

⁵ Epifanio di Salamina (315 circa - 403) fu monaco in Egitto per molti anni finché nel 367 fu consacrato vescovo di Salamina di Cipro, continuando a mantenere anche in seguito uno stile di vita monastico. Strenuo difensore dell'ortodossia, attorno al 374 scrisse un primo compendio contro le eresie, intitolato *Ancoratus*, e subito dopo, verso il 376-377, il *Panarion* in tre libri, nei quali sono descritte e confutate 80 eresie.

⁶ *Panarion* 45, cfr. Migne, PG 41, col. 834.

⁷ Piccola setta gnostica sviluppatasi tra il II ed il III secolo, che sosteneva che il corpo fosse opera di Dio e pertanto la nudità non fosse peccato. Della setta riferiscono sia Agostino sia Epifanio.

⁸ Movimento religioso di matrice cristiana sviluppatosi in Europa nel XVI secolo, in seno alla Riforma protestante. Il termine "anabattista" fu coniato dai loro nemici con intento mistificante, perché usavano ri-

primi, Adamum imitari volentes, nuptias damnabant docentes, si nunquam peccasset Adam, nullum Matrimonii usum fuisse futurum, alteri vero mulierum communionem introducere volebant.

IV Recentioribus tandem temporibus Lutherani et Calvinistae, licet divinam Matrimonii institutionem agnoverint, illud tamen inter Sacramenta a Christo Domino instituta recensendum esse perfracte negarunt, ac plurima alia a Catholica Ecclesiae doctrina maxime abhorrentia arbitrio suo pronunciarunt, quorum errores Tridentina Synodus duodecim editis Canonibus proscrisit^e.

V Hanc porro doctrinam prae oculis habeant Parochi, ut gravissimo oneri satisfaciant, quo sicuti aliorum Sacramentorum ita et hujus Sacramenti institutionem, sanctitatem, partes, dispositiones suscipientium sanctumque, quem sibi in matrimonio contrahendo praefigere debent, finem fidelibus exponere tenentur, Tobiae exemplum et verba repetentes^f: *filius sanctorum sumus et non possumus ita conjungi sicut gentes quae ignorant Deum... Domine scis quia non luxuriae causa accipio conjugium, sed sola posteritatis dilectione in qua benedicatur nomen tuum.*

VI Moneant idcirco fideles qui ad hunc Matrimonii statum vocati fuerint, maximum illis onus incumbere, antequam matrimonii vinculo sese obstringant, orandi Deum ut eum vitae socium sive sociam eligere atque obtinere valeant, cum qua et sanctius atque honestius convivere, et utilius sibi ac familiae futuraeque proles educationi consulere possint. *A Domino autem proprie uxor prudens. Mulieris bonae beatus vir... pars bona mulier bona ... dabitur viro pro factis bonis*^g. Eos pariter doceant qua mentis corporisque integritate ad sacra facienda conjugia accedere debeant, ut felices optatosque habeant effectus, gra-

battezzare gli adepti, non considerando valido il battesimo impartito agli infanti.

^e Sessio 24 De [sacramento] matrimoni.

^f Tob 2, 5 e 9.

^g Pm 19, 14; Sir, 26, 1 e 3.

vesque, quibus subjacent male auspicata connubia, calamitates atque aerumnas effugiant.

VII Canonica etiam impedimenta, quae vel illicita vel etiam invalida matrimonia reddunt, praesertim ea quae a rudibus hominibus ignorari solent, suis Parochi fidelibus exponant, moneantque nonnisi iisdem sublatis ex legitima dispensatione, quae videlicet ex justa ac sincera petatur causa ab Ecclesia approbata licite et valide connubia celebrari posse. Hinc quoties impedimentum aliquod matrimonio obstat et dispensatio super eodem petenda sit, serio perpendenda est dispensationis causa, utrum justa revera sit ac legitima an non, tum eadem simul cum impedimento plane ac sincere ad summum Pontificem deferenda. Haec enim si desit, nulla prorsus erit atque irrita a Pontifice facta relaxatio, eaque utentes conjuges Domini, qui omnia intuetur, iram atque indignationem sibi consciscunt⁹. *Qui iniquam dispensationem petit, inquit Bellarminus^b, iniquitatis causa est, et qui ea utitur, eadem semper irretitur iniquitate.*

VIII Verum non hoc unum est incommodum quod ex contrahentium perversitate ac malitia matrimonium comitari potest. Sunt et alia quamplurima mala quibus animarum Rectores opportunam facere medicinam debent, ac praesertim ea sunt cura omni ac sollicitudine cavenda, quae ex matrimonii cunctatione post jam contracta sponsalia oriri crebro solent. Primo enim non raro contingit ut alter sponsorum, aliis amoribus irretitus suaeque promissionis poenitens, matrimonium celebrare renuat, quin etiam inita jam pridem sponsalia inficietur, sicque ad matrimonium contrahendum, ob occultam sponsorum promissionem, cogi nulla ratione possit. Jam vero huic nos,

⁹ *P eaque utentes conjuges Domini iram, qui omnia intuetur, atque indignationem sibi consciscunt.*

^b Bellarmino, *Ad Nepotem*, controversia 5. [Il cardinale Roberto Bellarmino (1542-1621) fu un teologo gesuita, fervente oppositore delle dottrine protestanti. Consigliere di papa Paolo V, fu coinvolto nei processi contro Galileo, Tommaso Campanella e Giordano Bruno. Quasina cita l'*Epistula ad Theanensem episcopum nepotem suum*, cfr. *Admonitio ad Episcopum Theanensem nepotem suum*, p. 705, in *De officio principis christiani*, Lugduni 1619].

malo remedium afferre conantes, volumus Parochos nostros monere fideles ut in contrahendis sponsalibus duos saltem integrae fidei testes adhibeant, qui promissionis ac repromissionis syngrapham subscribant non minus ac sponsi, qui si scribere nesciant, crucem ad scripti calcem inscribant¹.

IX Illud etiam usuvenire solet ut nonnulli post inita sponsalia ad loca etiam remotiora transeant, quibus diutissime commorantes, quin ulla habeatur de iisdem notitia, implendae promissionis servandaeque fidei spem fere omnem adimant. Porro alteri comparti, quae in eodem existit loco, facultatem libenter damus rem deferendi nobis aut nostro Vicario Generali, praefigendum a die recursus terminum impetraturae: quo elapso, in ejusdem favorem soluta intelligantur sponsalia, sitque illi ad nova alia convolandi libertas¹.

X Quod tamen gravius ac periculosius quotidiana experientia ostenditur mutuum est desponsatorum commercium nimisque familiare colloquium; quo fit ut liberiores quidam homines omnia fere ex promisso connubio sibi licita existimantes, sponsas frequentius quam par est invisant, eas nimis libere alloquantur, atque eo etiam non raro conveniant, ubi illiciti foveantur amores atque honestas animaeque salus periclitetur. Rogamus ergo vehementer et quantum possumus exhortamur animarum Rectores ut tam atram pestem ex commissis sibi populis avertere, tamque praesens animarum periculum remove totis viribus conentur.

XI Novimus a nonnullis Episcopis statutam adversus sponsos ejusmodi familiari consuetudine et scandaloso commercio utentes, ac praesertim cohabitantes, gravem excommunicationis poenam. Quoniam vero ad expellendum gravissimum hoc malum nullas eam habuisse vires multarum Dioecesium experientia edocemur, ab ea infligenda abstinendum ducimus. Nos potius ad Parochos sermonem vertimus atque in Domi-

¹ Benedictus XIV, *Notificatio* 46. Pichler 4, 1, 1, 24 [BENEDICTI XIV, *Institutiones Ecclesiasticae*, p. 314, Romae 1750. V. PICHLER, *Summa Jurisprudentiae Sacrae Universae*, p. 696, Augustae Vindellicorum 1758].

² Benedictus XIV, *Notificatio* predicta.

no obsecramus ut familiarem hanc sponsorum consuetudinem publicis concionibus privatisque colloquiis impediant, multorumque malorum semen ac stirpem prorsus evellere satagant. Admoneant ergo sponsos ut, ad vitandum incontinentiae periculum, quantocius ab initis sponsalibus ad matrimonii celebrationem procedant. Interim districte interdicanet ne sponsi frequenter ac libere colloquantur, simulque cohabitent aut pernocent, ob oculos ponant quae et quanta ab hujusmodi commercio profluant incommoda infamae, dedecoris, infausti connubii; temporalium atque aeternarum poenarum timorem incutiant, commoneant tandem eorum peccatum, qui illicita antea copula utantur, quam matrimonium per verba de praesenti in facie Ecclesiae contraxerint, inter casus nobis reservatos adscriptum esse. Quod si publicis privatisque admonitionibus malo huic pernicioso medicinam adferre nequeant, rem nobis aut nostro Vicario Generali statim deferant, ut quae validiora atque aptiora videbuntur remedia adhibere saevisque etiam Ecclesiae poenis adversus ejusmodi sponsos animadvertere valeamus.

XII Diligenter etiam cavere debent Parochi ne contrahendis sponsalibus intersint, ne forte extra Ecclesiam sine praemis proclationibus a Tridentino jure praescriptis matrimonium celebrari contingat^k.

XIII Tribus ergo, antequam matrimonium celebretur, continuis diebus festis in Ecclesia publicae denunciations fiat, simulque edoceantur fideles lethalis culpae reos esse illos qui ea quae noverint impedimenta non detegant, vel quae falsa sunt, ne matrimonium contrahatur, effingant. Si fuerint sponsi ex diversis Parochiis^l in utraque fieri debent proclationes, si ex alia Dioecesi nequaquam ad matrimonii celebrationem admittantur, nisi expressam de statu libero ab Episcopali suae Dioe-

^k *Concilium provinciale Turritanum, De matrimonio. Tridentinum, De reformatione matrimonii c. 1* [*Decreta concilii provincialis Turritani*, p. 54, Sassari 1641; *Tridentinum, Sessio 24 Canones super reformatione circa matrimonium*].

^l *Rituale Romanum, De Sacramento matrimonii* [p. 233, Romae 1617].

ceseos curia emanatam fidem praeseferant, atque in hoc casu diligentius etiam inquirant Parochi num impedimento aliquo contrahentes irretiti sint, quod si reveletur, non ultra procedere debent juxta praescripta a Rituale Romano.

XIV Illos etiam a contrahendo matrimonio arcendos volumus qui mysteriorum fidei et doctrinae Christianae ignorantia laboraverint^m. Quum enim susceptam prolem in fidei rudimentis instruere praecipuum sit parentum officium, patet sacro foedere jungendos sponso hujusmodi in rebus instructos esse debere. Noverint itaque contrahentes non solum matrimonii celebrandi, sed etiam faciendarum denunciationum facultatem se minime impetraturos esse, nisi de sufficienti Christianae doctrinae scientia descriptum a Parochis testimonium nobis aut nostro Vicario Generali exhibeant.

XV Jam vero proprius ad contrahendum Parochus ille est, in cujus Parochia contrahentes fixum habent domicilium. Eam tamen quae jamdiu viget consuetudinem approbamus ut in Parochia etiam originis matrimonium denunciatur, praesertim si tum ab eadem discessisse constet, quum contrahendi alicujus impedimenti capaces essent. Quod si post factas declamationes duo integri menses elapsi fuerint, nequaquam nobis inconsultis, ad matrimonii celebrationem gradus fiatⁿ.

XVI Ad ea evitanda incommoda et mala quae vulgo ex Clandestinis connubiis ortum habent, atque ad coercendam eorum audaciam qui aliquod praevidentes pateferi impedimentum, nullis praemissis denunciationibus, inscium Parochum adeunt matrimonium contracturi, excommunicationis poenam ipso facto (a qua non absolvantur nisi in forma ab Ecclesia consueta) incurrere eos volumus, qui ita sese matrimonio copulare ausi fuerint. Volumus etiam Pro-Parochos, nisi specialem a Parochis pro casu peculiari facultatem in scriptis, acceperint matrimonio assistere minime posse, subtracta isdem amplissima

^m Benedictus XIV, *De Syn. Dioec.* 8, 14, 3. Constitutio 42 *Etsi minime* 7 Februarii 1742 [*De Syn. Dioec.*, p. 278, Romae 1755. SS. D. N. *Benedicti papae XIV Bullarium*, tom. 1, pp. 110-115, Romae 1746].

ⁿ *Rituale Romano*, loco citato.

illa, quae vulgo concedi solet, matrimonio assistendi potestate.

XVII Illud etiam diligenter inquirent Parochi num sponsi libere ad matrimonium accedant an metu aliquo aut vi coacti, num eorum parentes in matrimonium consentiant an potius eidem inviti repugnent. Tunc enim matrimoniis concelebrandis haud facile intersint Parochi, curentque pro viribus diffidentes animos componere atque inter se conciliare, et, si opus fuerit, rem nobis deferant, qui pro munere nostro Pastoralis omnia ad concordiam et tranquillitatem perducentia satagemus, ut perfectae atque integrae connubiorum libertati omnimode consulamus.

XVIII Demum ad matrimonii celebrationem nequaquam admittantur qui non prius rite confessi sacram Eucharistiam susceperint, nisi ob aliquam necessitatem de sola Confessione contenti esse possint, quam tamen, ut pluribus incommodis occurramus, ante tertiam proclamationem peragendam districte praecipimus. Porro nullo alio in loco quam in Ecclesia, quae proprius est Sacramentorum locus, nisi nobis aut nostro Vicario Generali aliter placuerit, sponso sacro foedere conjugant, quo etiam in casu novi conjuges nuptialem benedictionem obtenturi, quae matrimonii consummationem praecedat, ad Ecclesiam veniant.

XIX Caeterum, ut in matrimonii celebratione tutius procedant Parochi, prae manibus habeant Rituale Romanum quaeque in eo praescripta sunt diligenter observent. Discent ex eo tempus quo benedictiones nuptiales impertiri debent, item denegandas esse viduis, licet de uxore tantum agatur, formulam quoque adhibendam in conficiendo matrimoniorum libro, quem diligenter custodire, sicuti de aliis diximus, ac servare debent.

XX Postremo, cum plurimae sint divortii permittendi causae^o, cumque easdem expendere ac definire ad Judicem Eccle-

^o Benedictus XIV, *De Syn. Dioec.* 9, 9, 4 [p. 312, Romae 1755. Il passo citato del *De Syn. Dioec.* rinvia alle *Decretales* di papa Gregorio IX, contenute nel *Corpus Iuris canonici*: 4, 1, 10 (*De sponsalibus*); 4, 19, 13 (*De divortiiis*)].

siasticum spectet, si quando conjuges etiam admoniti separatim vivere persistent, nobis denunciandi sunt, ut cognita causa quae matrimonii ratio et aequitas postulare videbitur, ea rite decernere valeamus.

CAPUT XV

DE INDULGENTIIS

I Sacramenta novae legis a Christo Domino instituta gratiam conferre, peccata remittere, aeternaeque poenae iisdem peccatis debitae reatum delere, certa est atque infallibilis Catholicae Ecclesiae veritas^a. Eadem porro docet per acceptam justificationis gratiam non omnino tolli temporalem poenam, hancque, vel in hoc saeculo bonis operibus dignisque poenitentiae fructibus, vel in altero Purgatorii igne, ut nobis aditus ad aeternam beatitudinem patere possit, exolvendam esse.

II Verum persolvendae in hac vita ejusmodi poenae ac satisfaciendae divinae Justitiae congruis poenitentiae operibus impares nos agnoscens Christus Dominus inexhaustum meritorum suorum, Beatissimae Virginis ac Sanctorum omnium thesaurum Ecclesiae reliquit: *quem quidem non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum coeli clavigerum ejusque successores, commisit fidelibus salubriter dispensandum*^b. Scilicet potestatem dedit Ecclesiae suae indulgentias concedendi seu condonationes temporariae poenae peccatis hominum debitae, quibus illam vel imminueret vel etiam omnino auferret.

III Jam vero circa tempus, quo primum concessae sunt ab Ecclesia ejusmodi indulgentiae, non omnino consentiunt eruditi. Nonnulli enim primam indulgentiam sub finem saeculi undecimi ab Urbano II¹ militantibus ad loca sancta recuperan-

^a Can. 6, Sessio VII *De Sacramentis in genere* [Concilium Tridentinum].

^b Extravagantes, *Unigen<itus>*, *De poenitentiis et rem<issionibus>* [Extravagantes Communes 5, 9, 2].

¹ Ottone di Lagery (1042-1099), papa nel 1088, venne eletto a Terracina dal momento che Roma era controllata dall'antipapa Clemente III. Proseguì e mise in atto il programma riformatore di Gregorio VII e continuò la lotta contro l'imperatore Enrico IV per le investiture. Nel

da impertitam fuisse opinantur^c. Alii vero dissentiunt^d atque indulgentiarum usum ante Urbanum II, ex Actis orientalis Ecclesiae ab Emmanuele Schelstrate collectis, in Ecclesia fuisse existimant^e.

IV Quidquid sit, certum est a Tridentino Concilio definitum Dogma^e, potestatem nempe conferendi Indulgentias a Christo Domino Ecclesiae concessam fuisse atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illam usam fuisse, hinc indulgentiarum usum, ut Christiano populo maxime salutarem, et Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia omnino esse retinendum.

V Hortamur ergo vehementer Parochos ut suis ad populum concionibus indulgentiarum usum, fructus, praevias dispositiones luculenter exponant magnumque indulgentias lucrandi desiderium, iisdemque defunctorum etiam animis suffragandi studium in fidelibus excitent. Quod quidem, occurrente praesertim Jubilaeo, facere debent animarum Rectores ut omni pietatis studio sese ad illud rite instructi fideles disponant.

VI Admoneant praeterea populum non idcirco a sanctis operibus, poenitentiae lacrymis, precibus congrisque laboribus abstinendum. Licet enim pia Mater Ecclesia facultate sibi a Christo Domino concessa utens in dispensandis hujusmodi indulgentiis liberalis profecto sit, non tamen idcirco a generali lege, quae omnibus praecipit dignos facere poenitentiae fructus^f, fideles eximere unquam cogitavit. Quin etiam Ecclesia ipsa

1095 convocò il Concilio di Clermont-Ferrand in cui fu bandita la prima crociata.

^c Tom. 10 *Concilia col<lecta> Labean<a>*. Cardinalis Thomas<ius> tom. 7 ejusdem op<era> [PHILIPPE LABBE, *Sacrosanta concilia ad regiam editionem exacta*, col. 513, Lutetiae Parisiorum 1671. JOSEPHI MARIAE THOMASII, *Opera Omnia*, tom. 7, p. 126, Romae 1754].

^d Tom. 2, dissertatio 1, cap. 5 [EMMANUEL SCHELSTRATE, *Acta Orientalis Ecclesiae contra Lutheri haeresim*, p. 761, Romae 1739].

^e La fonte dell'intero passo e delle citazioni contenute nelle note *c* e *d*, è il *De Synodo Dioecesis* di Benedetto XIV, cfr. *De Syn. Dioec.* 13, 18, 6, p. 596, Romae 1755.

^e Sessio 25 *Decretum de Indulgentiis*.

^f *Mt* 3, 8.

in earum concessione quaedam injungit satisfactoria opera, quae nisi rite ac devote perficiat, indulgentias lucrari nemo unquam potest.

VII Quod si inter injuncta ejusmodi opera confessio etiam praescripta sit, sine hac confessione aliis operibus rite peractis, indulgentias lucrari possunt, *qui semel saltem in hebdomada ad sacramentum poenitentiae accedere, nisi legitime impediuntur, consueverunt, et nullius lethalis culpa e se post peractam ultimam confessionem commissae sibi conscii sunt. Nihil tamen innovando circa indulgentias Jubilaei tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera injuncta, ita et Sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione praescripto peragantur.* Clemens XIII die nono Decembris anni 1763 hoc indultum in iisdem terminis concessit, et Sacra Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita expediri mandavit.

VIII Denique caveant Parochi ne suis in Ecclesiis novae Indulgentiae, quin fuerint a nobis aut a nostro Vicario Generali recognitae atque adprobatae, denuncientur. Curent etiam ut Apostolicae Concessionis literae in Archivio Parochiali serventur, atque Indulgentiae jam concessae in tabellis descriptae in obvio et patenti Sacristiae loco unicuique fidelium legendae occurrant.

SUMMARIUM INDULGENTIARUM

I

Qui rite confessi et Sacra Communione refecti in festivitate Sanctissimi Corporis Christi solemni Missae aut matutinis aut vespers intersint, quadrigentorum dierum, qui vero cuilibet ex horis minoribus assistent, centum sexaginta dierum indulgentiam consequentur. Infra octavam vero mediam dictarum indulgentiarum partem lucrabitur qui iisdem officiis intererit[§].

[§] Eugenius IV, constitutio *Excellentissimum*, 1433 [bolla 7 del 26 maggio 1433, cfr. L. TOMASSETTI ET COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM

II

Qui quocumque idomate alios salutaverit iis verbis: *laudetur Jesus Christus*, et qui responderit: *in saecula*, vel *amen*, aut *semper*, uterque centum dierum indulgentiam lucratur^h.

III

Facem deferentes, cum ad infirmos defertur Sacrum Viaticum, indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum lucrantur; comitantes sine lumine, annorum quinque et totidem quadragenarum; facem autem mittentes ab aliis ferendam, cum ipsi impediti adire nequeant, trium annorum et totidem quadragenarum indulgentiam consequenturⁱ.

IV

Qui publicis quadraginta horarum precibus devote intersunt et coram Sanctissimo Sacramento per horae unius spatium orant, trium annorum indulgentiam lucrantur; intervenientes processioni praefatae orationis quadraginta horarum, si in Cathedrali, decem annorum, si in aliis Ecclesiis, quinque annorum indulgentiam acquirunt^l.

V

Qui ad sonum campanae devote et flexis genibus (tempore paschali, sabbato post meridiem, et diebus Dominicis exceptis) mane, meridie et vespere recitaverint *Angelus Domini*, et in uno cujuslibet mensis die ad arbitrium eligendo confiteantur et sacra Communionem reficiantur, Indulgentiam Plenariam; in reli-

S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM, *Bullarium Romanum Tomi XXIV*, tom. 5, pp. 14-15, Augustae Taurinorum 1860].

^h Benedictus XIII, 12 Januarii 1728. [Un'indulgenza di cinquanta giorni venne concessa da papa Sisto V nella bolla *Reddituri* dell'11 luglio 1587 (infra): tale indulgenza fu confermata e allungata a cento giorni da Benedetto XIII con un decreto della Sacra Congregazione delle Indulgenze del 12 gennaio 1728].

ⁱ Innocentius XII, constitutio *Debitum* 5 Januarii 1695. [Bolla 99 del 5 gennaio 1695, cfr. L. TOMASSETTI ET COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRO- RUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM, *Bullarium Romanum Tomi XXIV*, tom. 20, pp. 668-669, Augustae Taurinorum 1870].

^l Gregorius XIII, constitutio *Quam uberes*, 5 aprilis 1580. [Breve indiriz- zato alla provincia di Milano].

quis autem diebus, singulis vicibus, centum dierum indulgentiam consequentur, tempore paschali recitari debet antiphona *Regina coeli letare*, loco *Angelus Domini*, cum versu proprio et oratione^k.

VI

Qui ad sonum campanae ante vel post noctis horam psalmum *De profundis*, vel *Pater*, et *Ave* pro defunctis devote recitaverint, singulis vicibus, dierum centum; et confessi, et sacra Communionem refecti, singulis annis, Indulgentiam Plenariam obtinebunt^l.

VII

Qui singulis diebus actus fidei, spei et charitatis devote eliciunt, septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiam lucrantur; confessi vero et sacra Communionem refecti semel in mense et in articulo mortis Plenariam obtinebunt, quae per modum suffragii animabus Purgatorii applicari potest^m.

VIII

Qui singulis sextis feriis, hora tertia post meridiem, ad sonum campanae quinquies devote recitaverit *Pater* et *Ave* in memoriam passionis et agoniae Domini nostri Jesu Christi, dierum

^k Benedictus XIII, constitutio *Essendo stato commesso* 26 septembris 1724. Benedictus XIV 20 aprilis 1742. [Le indulgenze concesse in seguito alla recitazione, in ginocchio, dell'*Angelus Domini* al suono delle campane, furono concesse da Benedetto XIII attraverso la bolla 32 del 26 settembre 1724, che fece seguito al Breve Apostolico (*Omnibus vere poenitentibus*) del 14 settembre dello stesso anno (cfr. L. TOMASSETTI ET COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM, *Bullarium Romanum Tomi XXIV*, tom. 22, pp. 101-102, Augustae Taurinorum 1871). Benedetto XIV, con una disposizione del 20 aprile 1742, stabilì che al posto dell'*Angelus Domini* si recitasse l'antifona *Regina Coeli*].

^l Clemens XII, constitutio *Coelestes* 1736. [Bolla 184 del 14 agosto 1736, cfr. L. TOMASSETTI ET COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM, *Bullarium Romanum Tomi XXIV*, tom. 24, p. 201, Augustae Taurinorum 1872].

^m Benedictus XIV, 28 Januarii 1756. [Decreto della sacra Congregazione delle Indulgenze e Reliquie *Etsi a Sacra Congregatione* del 19 gennaio 1756, approvato da Benedetto XIV il 28 gennaio 1756].

centum indulgentiam lucratur. Hoc signum campanae dari Parochis aliisque superioribus in virtute sanctae obedientiae praecipit summus Pontifex Benedictus XIV, quod nos etiam iisdem districte praescribimusⁿ.

IX

Indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum lucrantur qui orationi mentali in Ecclesiis vel alibi incumbunt, aut alios meditari docuerint, vel dictae orationi interfuerint, dummodo confessi sint sacraque Communionem refecti. Praeterea Plenariam Indulgentiam obtinebunt, quae etiam per modum Suffragii Defunctis applicari possit, semel in mense, uniuscujusque commodo et arbitrio, si vere poenitentes sacram Communionem perceperint. Tandem ii qui per dimidiam horam vel per unum quadrantem singulis diebus et per totum mensem orationi mentali vacaverint, praefatis dispositionibus praemissis, semel in quolibet mense Plenariam Indulgentiam, quae per modum suffragii animabus Purgatorii applicari possit, consequentur^o.

X

Qui recitaverint Litanias sanctissimi nominis Jesu, trecentorum dierum, si beatissimae Virginis ducentorum dierum indulgentiam lucrantur. Nominantes reverenter nomen Jesu vel nomen Mariae singulis vicibus dies vigintiquinque indulgentiae obtinebunt^p.

XI

Qui ad sonum campanae, in signum elevationis Sanctissimi Sacramenti in Missa Conventuali seu Parochiali genuflexi, ubi-

ⁿ Dict<us> Pont<ifex>, constitutio *Sollicitud<ini>* 13 Decembris 1740. [Si tratta più precisamente della bolla 9 *Ad passionis* del 13 dicembre 1740, cfr. *SS. D. N. Benedicti papae XIV Bullarium*, tom. 1, p. 27, Romae 1746].

^o Benedictus XIV, constitutio *Quemadmodum* 1746. [Bolla 23 del 16 dicembre 1746, cfr. *SS. D. N. Benedicti papae XIV Bullarium*, tom. 2, pp. 161-162, Romae 1749].

^p Sixtus V, constitutio *Reddituri*. [Bolla del 11 luglio 1587].

cumque fuerint, oraverint, annum unum indulgentiae pro qualibet vice consequentur^q.

^q Gregorius XIII, constitutio *Ad excitandum* 10 aprilis 1580. [Breve indirizzato alla provincia di Milano].

CAPUT XVI

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM

I Qui clericali jam militiae adscriptus, illius, in quo a Domino constitutus est, status dignitatem ac praestantiam secum ipse reputet, is profecto ad eam, quae Clericum decet, vitae ac morum sanctitatem consequendam animum convertet. Ita enim intelliget se in altiori constitutum Ecclesiae loco ad altius quoque perfectionis culmen aspirare, omnibusque virtutibus insignitum splendescere in aliorum exemplum debere. Quin imo vel ex ipsa nominis significatione^a, ex habitu, insignibus et ritu sentiet se in sortem Domini vocatum Domini partem atque haereditatem esse, atque idcirco a saeculi voluptatibus atque deliciis secretum de Domino cogitare, de Domino loqui, pro Domino agere debere, et tamquam ejus ministrum et militem in id totis viribus incumbere, ut extirpentur e populis vitia, mores emendentur, excolantur virtutes, pietas, justitia et fides in unoquoque fidelium promoveantur.

II Studeant ergo diligenter Clerici mores suos rite componere, pie ac religiose vivere, sicut decet Ministros Dei ejusque mysteriorum dispensatores^b. Abstineant se a lusibus, choreis, aleis ac liberioribus colloquiis, abhorreant a pompa et luxu, ab otio, a saeculi vanitatibus et negotiis, quae devotionis spiritum imminuunt mentemque a Deo avertunt. Orationi assiduo vacent, saecularium conventus et celebrationes effugiant; sit incessus gravis, habitus modestus, *sermo purus, simplex, apertus, plenus gravitatis et honestatis, plenus suavitatis et gratiae, tractans de mysterio legis et doctrina fidei, de virtute continentiae et de disciplina justitiae*^c. Ita sane Clerici congruam statui, quem

^a Hier., *Epistula ad Nepotianum* [52, 5, cfr. Migne, PL 22, col. 531].

^b I C 4, 1.

^c S. Isid. *Offic<iis> ad s. Fulgent<ium>* 2, 3. [Isidorus Hispalensis *De Ecclesiasticis Officiis*, 2, 5, 17, cfr. Migne, PL 83, col. 785].

profitentur, perfectionem consequentur, atque fidelibus sese bonorum operum praebentes exemplum, illos ad pietatem, ad vitae ac morum sanctitatem vehementer excitabunt. *Nihil enim est, ut ajunt Tridentini Patres, quod magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt; quum enim a rebus saeculi in altiore sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt ex iisque sumunt quod imitentur*^d. Quae omnia paucis complexa Judith jam praedixerat alloquens Bethuliae Sacerdotes: *quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima eorum*^e.

III Prae oculis habeant divinum illud dilectionis et fraternae charitatis praeceptum, quod universis quidem hominibus, sed specialiter Clericis, injunctum esse non immerito dici potest^f. Quod ut adimpleant, non modo contentiones ac dissidia evitare, sed, velut arbitri pacis et mediatores inter homines constituti, eadem sedare et componere pro bono pacis et populorum quiete totis viribus conentur.

IV Ad hanc autem dilectionem et pietatem conservandam atque in dies augendam, juvat potissimum crebra et devota Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptio. Quapropter hortamur omnes in Sacerdotali dignitate jam constitutos ut singulis etiam diebus, nisi fuerint legitime impediti, aut saltem, ut Tridentinum praescribit^g, diebus Dominicis et festis solemnibus, divinam et salutarem hostiam Corporis et Sanguinis Christi Deo Patri pro suis proque fidelium omnium peccatis immolent, omnem operam et diligentiam in eo ponentes, ut quam maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exterioris devotionis ac pietatis specie peragatur^h. Diaconos vero et subdiaconos, octavo quoque die, ad sacram Com-

^d Sessio 22 *De reformatione*, c. 1.

^e *Jdt* 8, 21.

^f *J* 15, 12; *R* 13, 8.

^g Sessio 23 *De reformatione*, c. 14.

^h Idem Sessio 22 *De observ<andis> et evit<andis> in celebratione Missae*.

munionem accedere jubemus, qua de re nisi scriptum adferant a Parocho testimonium, ad superiorem Ordinem promovendi non erunt.

V Obsequium, honorem atque obedientiam Episcopo tamquam legitimo superiori et praesidi in animarum regimen a Deo constituto alacriter praesent. Quod profecto sacri Canones et Sancti Patres gravissimis verbis commendant. *Esto subiectus Pontifici tuo et quasi animae parentem suscipe*ⁱ. Et Sanctus Ignatius Martyr ad Smyrnensem populum scribens: *reveremini Episcopum sicut Christum, quemadmodum nobis praeceperunt Apostoli; Episcopus enim typum Dei patris omnium gerit*^j. Et in Epistola ad Magnesianos: *deceat itaque et vos obedire Episcopo et in nullo illi refragari; terribile enim est illi contradicere... omnes Episcopum sequimini ut Christus Patrem*^k. Quibus innixa Tridentina Synodus fidelibus omnibus districte praecipit ut Episcopos paterno honore ac debita reverentia prosequantur^l.

VI Nihil est quod magis Clericis sacri Canones, Concilia et Patres commendent, quam ut sufficientem et idoneam sibi doctrinam acquirant. Cum enim fideles instruere in fidei veritatibus morumque praeceptis, Dei verbum praedicare et sacramenta administrare praecipuum sit Clericorum officium; profecto patet, ut rite hujusmodi officii satisfaciant, eos mediocri saltem scientia praeditos esse oportere. *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime a Sacerdotibus vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt*^m. Et Sanctus Thomas id confirmat dicens: *suscipens Ordines praeficitur ad pellendam igno-*

ⁱ Dist. 95 *Esto subiectus* [Decretum Gratiani, D. 95, c. 7].

^j Vid. *Acta Ecclesiae Mediolanensis* [pars 4, *Istructiones predicationis Verbi Dei*, p. 413, Patavii 1754. La citazione in verità è tratta dall'*Epistula ad Trallianos*, 3, cfr. Migne, PG 5, col. 678].

^k Baronius 51, 57. [La fonte è Cesare Baronio, *Annales Ecclesiastici*, tom. 1, p. 396, Romae 1593. Come Baronio riporta in nota, la prima parte della citazione è tratta dall'*Epistula ad Magnesianos* (§ 3, cfr. Migne, PG 5, col. 666), la seconda dall'*Epistula ad Smirnaeos* (§ 8, cfr. Migne, PG 5, col. 714)].

^l Sessio 25 *De reformatione*, c. 17.

^m Can. *Ignorantia* Dist. 38 [Decretum Gratiani, D. 38, c. 1].

*rantiam in plebe*ⁿ. Quapropter hortamur Clericos nostros ut in eorum librorum lectione sese exerceant, ex quibus necessariam obeundo muneri suo doctrinam haurire atque utiles Ecclesiae Ministros sese reddere pro viribus possint.

VII Quemadmodum officio, dignitate et status perfectione a laicis distinguntur qui sunt divino ministerio adscripti, ita externo corporis habitu et cultu ab iisdem secerni illos oportet. Licet enim habitus, ut Tridentinum inquit, non facit monachum, decet tamen in militiam Christi cooptatos proprio congruentes Ordini vestes semper deferre, ut per decentiam habitus externi, internam morum honestatem ostendant^o. Merito igitur non reprehendendi solum sed puniendi sunt etiam Clerici qui, propriam dignitatem et honorem Clericalem parvi pendentes aut etiam erubescences, habitum suo statui congruentem abjiciant velut profugi e militia Christi et laicalem vestem adsumant.

VIII Nos itaque Sacrorum Conciliorum ac praesertim Tridentinis vestigiis inhaerentes, Clericis nostris vel prima etiam tonsura initiatis districte praecipimus, sub statutis a jure poenis aliisque nostro arbitrio infligendis, ut talarem et clericalem vestem, cum ad Ecclesiam accedunt et officia suo Ordini convenientia exercent, semper deferant; contractiorem tamen habitum extra Ecclesiam permittimus, dummodo sit nigri coloris atque a saeculi pompa et fastu prorsus alienus. Breviori etiam veste nigri aut alterius coloris, qui Clericalem modestiam atque humilitatem non dedecet, uti possunt iter facientes, collare tamen ad remotiora etiam loca peragrantes nunquam deponant, laneis vestibibus, quas Sardi vulgo gestant et quas alias vetuimus, sub iisdem poenis, omnino interdictis^p.

IX Cum illorum, qui Clericalem militiam profitentur, proprium sit officium ac munus Deo vacare et spiritualem ani-

ⁿ S. Thom. Suppl. III^a q. 35 a. 1 ad 1 [*Summa Theologiae*].

^o Sessio 14, c. 6 [*De reformatione*].

^p *De Syn. Dioec. 11; Mediolanense Concilium IV* [*De Syn Dioec. 11, 8, 8, p. 411, Romae 1755; Acta Ecclesiae Mediolanensis, De vita et honestate clericorum*, p. 145, Patavii 1754].

marum salutem intendere, tum nihil esse mirum debet omni tempore Ecclesiam saecularia in Clericis negotia reprobasse eaque sub anathematis etiam poena severe prohibuisse, quemadmodum Sancti Patres et veteres Conciliorum Canones apud Gratianum testantur^q.

X Re vera nemo non videt valde indecorum esse Clericis ad terrena lucra, quae contemnere debent, atque ad saecularia desideria, quibus se omnino exuere solemniter profitentur, animum convertere, iisque se curis ac sollicitudinibus implicare, quae in Dei cultu propriaeque vocationis muneribus obeundis socordes reddant. Hinc etiam fit ut nec lites et contentiones effugiant, nec abjecta officia et ministeria dedignentur, quibus non ipsi tantum contemnantur sed universus etiam Ecclesiasticorum coetus vituperetur. Contra hos clamat Apostolus^r: *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus*. Hos admonet Sanctus Ambrosius^s dicens: *cui portio Deus est, nihil debet curare, nisi Deum*. Et Divus Hieronymus¹ addit: *ratio capitis est temporalium omnium depositio*.

XI Quamobrem nos, Canonicas leges et summorum Pontificum praesertim Benedicti XIV et Clementis XIII^t Constitutiones prae oculis habentes, Clericis omnibus, praesertim in sacris constitutis, omnino prohibemus ne vel per se vel per alium

^q Dist. 88, cap. 21, quaestio 3. Honor<ius> III cap. *Ex litteris, De vita et honestate Clericorum*; Alexander III c. 6, *Ne Clerici vel Monachi* [Rispettivamente: *Decretum Gratiani* D. 88; C. 21, q. 3; *Decretales Gregorii IX* 3, 1, 16 e 3, 50, 6].

^r 2 T 2, 4.

^s *De fug<a> saecul<i>*, cap. 2 [2, 7, cfr. Migne, PL 14, col. 600].

¹ Il testo citato è attribuito da Graziano nel *Decretum* (C. 12, q. 1, c. 7) a Girolamo, e sarebbe tratto da una non meglio precisata opera *Ad quendam suum Levitam de duobus generibus hominum*. Il riferimento tuttavia è incerto.

^t *Ap<ostolicae> servit<utis>* edita 25 Februarii 1741. *Quum primum* edita 17 Septembris 1759 [la prima bolla, di Benedetto XIV, è la num. 13 del 25 febbraio 1741, cfr. SS. D. N. *Benedicti papae XIV Bullarium*, tom. 1, pp. 32-35, Romae 1746, la seconda, di Clemente XIII, è la num. 87 del 17 settembre 1759, cfr. A. BARBERI, R. SEGRET, A. SPEZIA, *Bullarii Romani continuatio Tomi XIX*, tom. 1, pp. 227-231, Romae 1835].

ullum verae et lucratoriae negotiationis genus exerceant, nec² aliena praedia, census vel redditus conducant, neque pactiones ineant cum conductoribus, ut lucra dividantur. Prohibemus insuper ne aliorum tutelam, curam vel alienorum bonorum administrationem, procurationem et alia id genus officia suscipiant, quae difficultatibus implicant et a sacro distrahunt ministerio^u. Quod profecto tamquam Clericali officio incongruum atque indecorum et ipse Justinianus Imperator agnoscens ab omni tutela et cura Clericis immunitatem concessit, inquires: *omnibus aliis derelictis Dei omnipotentis ministeriis inhaereant*^v.

XII Ad hoc autem malum penitus, quantum ad nos attinget, auferendum, Parochos nostros enixe hortamur ut pro sacrae dignitatis praestantia, pro Ecclesiasticae disciplinae integritate atque animarum salute advigilantes, si Clericum aliquem in posterum (neminem enim huc usque hac criminis labe, quam pestem vocat Hieronymus^w, infectum novimus) divini obsequii et propriae perfectionis oblitum, temporalibus lucris inhiare ac saecularibus negotiis immisceri deprehendant aut etiam probabiliter suspicientur, ad nos rem statim deferre nequaquam omittant. Nostrum enim erit opportuniora tunc adhibere remedia, poenas a jure expressas vel etiam graviores, si opus fuerit, infligendo, ut is a suo dedecore et turpitudine ad Ecclesiasticae vitae perfectionem et ad Clericalis militiae nor-

² In P da “*nec aliena*” sino a “*ministerio*” il testo è riportato in corsivo, tuttavia non sembra trattarsi di una citazione, infatti il testo non compare in nessuno dei riferimenti giuridici che si leggono in nota u (infra).

^u *Concilium Chalced<oniense>* can. 3, in cap. *Perv<enit>*, Dist. 86. *Concilium Mediolanense primum*, Acta, pars I. Eugenius Papa in cap. *Sacerd<ibus>*, tit. *Ne clerici vel monachi*. [Il primo riferimento riguarda il terzo canone del Concilio di Calcedonia, citato nel *Decretum Gratiani* (D. 87, c. 26); il secondo rimanda agli *Acta Ecclesiae Mediolanensis, De negotiis saecularibus a Clerico fugiendis*, p. 18, Patavii 1754; l'ultimo rimanda a Eugenio Papa, citato nelle *Decretales Gregorii IX*, 3, 50, 2].

^v Leg. 51 cod. De Episcopis et Clericis [*Codex Iustinianus*, 1, 3, 51].

^w In canone *Negotiat<orem>*, Dist. 88, citato. [Nel *Decretum Gratiani* (D. 88, c. 9) è riportato un passo della già citata *Epistula ad Nepotianum*, 52, 5, cfr. Migne, PL 22, col. 531].

nam revocetur. Quod si quis ab animarum adversario factus industrius crimen occultet aut palliato titulo obvolvatur, ut diligentissimi etiam Parochi (quod impossibile fere existimamus) oculos effugiat, noverit is nihil profuturam hujusmodi industriam apud Deum, qui hominum corda et renes scrutatur^x, et, licet poenas ab Ecclesiasticis legibus indictas effugiat, illas minime declinaturum, quas Deus malorum vindex infliget iis, qui thesaurizant sibi iram in die irae et revelationis justi iudicii ejus^y.

XIII Noverint etiam Clerici venationem, quam sacri Ecclesiae Canones vetant^z, a nobis etiam sub poenis nostro arbitrio reservatis prohibitam esse: haec enim Clericalem statum non decet, et maxime a spiritualibus exercitiis divinoque cultu animum distrahit, et populo scandalum parit. Eodem modo sibi interdictam intelligant armorum gestationem^{aa}, nisi causa defendendae vitae occurrat, quae a nobis aut a nostro Vicario Generali recognita atque in scriptis approbata esse debet. Demum prohibemus ludum alearum, taxillorum etc., qui saltem fiat cum notabili jactura temporis, cum scandalo laicorum et magna pecuniae summa^{bb}.

XIV Illud vero totis usque viribus enixa est pia Mater Ecclesia, ut qui Deo per clericalem professionem consecrati sunt, quos maxime puritas sanctitasque decet, ab omni impudicitiae labe atque ab omni vel minimo etiam incontinentiae periculo arcerentur. Innumera id sane testantur per omne tempus edita monumenta: ex quibus etiam constat omnem familiaritatem et conversationem cum mulieribus fuisse Clericis interdictam: *ne aut ipsi per foeminas*, ait Nicoena Syno-

^x Ps 7, 10.

^y R 2, 5.

^z C. 1 [De] Clerico venat<ore> [Decretales Gregorii IX, 5, 24, 1]. Concilium Generale Lateranense IV, c. 15.

^{aa} Cap. 2, De vita et honestate clericorum [Decretales Gregorii IX, 3, 1, 2].

^{bb} Cap. 1. Dist. 35. Ex cap. 11 De excessib<us> prael<atorum>. Concilium generale Lateranense IV, cap. Clerici. [Decretum Gratiani D. 35, c. 1; Decretales, 5, 31, 11; Concilium Lateranense IV, 16].

du, aut foemina per illos ad ignominiosa ludibria provocentur³. Illis tamen permisit Ecclesia ut⁴ secum convivere possent illae mulieres, quae naturali foedere omnem probrosi criminis suspicionem excluderent^{cc}.

XV Quocirca piissimam Sanctae Matris Ecclesiae et aequissimam voluntatem exequi cupientes, quae tot ex Canonibus, Constitutionibus et Conciliis se manifestissime prodit, prohibemus sub poenis ad arbitrium infligendis ne Clerici ulla officii aut urbanitatis specie foeminas frequenter invisant, aut familiares cum ipsis sermones habeant, ne confessariis quidem exceptis erga poenitentes, memores illius sententiae: *in medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri*⁵. Cui consonat Divus Hieronymus: *vir stupa, foemina ignis, diabolus flabellum*⁶.

XVI Insuper volumus ne cum foeminis, nisi stricto propinquitatis vinculo conjunctis, convivere possint, ne ancillas aut famulas, nisi honestas bonique nominis et quadragenaria majores, si fieri possit, habeant. Nihil enim est quod hac in re su-

³ La citazione non si legge nel sinodo Niceno ma in un'opera pseudociprianea, il *De singularitate clericorum*, cfr. Migne, PL 4, col. 868.

⁴ In **P** il testo da questo punto sino a *excluderent* è riportato in corsivo, nonostante non sia stata riscontrata alcuna citazione, nemmeno tra i riferimenti presenti nella nota *cc* (infra).

^{cc} *Concilium Nicaen<um>* can. 3. Cap. *Inhibend<um>*, *De cohab<itatione> clericorum*. *Concilium Carth<aginense>* IV, can. 102. Innocentius III, cap. *A nobis*. Can. *Interdixit*. *Tridentinum*, Sessio 25 *De reformatione*, c. 14. [Sono presenti cinque riferimenti: a) *Concilium Nicaenum* I, 3 (cfr. anche Decretum Gratiani, D. 32, c. 16, *Interdixit*); b) *Decretales* 3, 2, 1 (*Inhibendum*, citazione dal Concilio di Magonza); c) *Concilium Carthaginense* IV, 102 (cfr. anche Decretum Gratiani, D. 81, c. 23); d) *Decretales* 3, 2, 9 (*A nobis*, citazione di Innocenzo III); e) *Concilium Tridentinum*].

⁵ *Sir* 42, 12-13.

⁶ La citazione attribuita a Girolamo non è verificata. È interessante notare come la medesima citazione si legga nel commento al passo sopracitato (*Sir* 42, 13) del gesuita Cornelius Van den Steen, attivo a cavallo tra '500 e '600: si potrebbe pertanto ipotizzare una dipendenza diretta o indiretta del Quasina da tale fonte. Cfr. CORNELIUS CORNELII A LAPIDE, *Commentaria in Ecclesiasticum*, p. 871, Antuerpiae 1687.

perfluum videri possit, imo non sit valde perutile, conveniens et necessarium ut Clerici ad eam quae decet puritatem ac vitae morumque perfectionem perducantur, quemadmodum praescribit Benedictus XIV in sua *Institutione Pastoralis LXXXII*⁷.

XVII *Facile contemnitur Clericus qui saepe vocatus ad prandium ire non recusat*^{dd}, inquit maximus Ecclesiae Doctor. Nec sane immerito: experientia enim ipsa edocemur, in saecularibus conviviis, praesertim quae nuptiarum occasione celebrari solent, multa esse pericula violandi temperantiae et castitatis leges atque alia hujusmodi perpetrandi, quae, si vel in laicis ferenda non sunt, ea viro Clerico prorsus indigna esse nemo non videt. Quapropter volumus ac praecipimus ut Clerici sacris in Ordinibus constituti ad hujusmodi convivium non accedant, ubi modestiam et sobrietatem, quam iisdem adeo necessariam diximus, difficillime retinere possunt. Quod si propinquitatis aut amicitiae ratio postulet ut hisce conviviis intersint, eam servent modestiam ac temperantiam, quae laicos tacite arguat atque etiam arguendo compescat. Idem de nocturnis conventibus ac vigiliis, occasione partus aut festi alicujus intelligi volumus; haec omnia Clericis nostris, praesertim sacro Ordine insignitis, districte prohibentes monentesque Parochos ut si quem hanc legem parvi pendisse deprehenderit, eum ad nos corrigendum ac puniendum etiam deferant.

XVIII Denique hortamur Clericos in majoribus vel minoribus Ordinibus constitutos ac prima etiam tonsura initiatos, ut Parochos quisque suos veneratione atque obedientia prosequantur in iis, quae ad servitium Ecclesiae et sacras functiones spectant atque ad horam celebrandae Missae, quam praefigere, pro majori fidelium commodo, diebus praesertim festis, atque in iis potissimum oppidis quae Sacerdotum inopia laborant, Parochi prudenter debent.

⁷ Cfr. BENEDICTI XIV, *Institutiones Ecclesiasticae*, pp. 524-526, Romae 1750.

^{dd} *Ad Nepotianum* [*Epistula ad Nepotianum*, 52, 15, cfr. Migne, PL 22, col. 539].

CAPUT XVII

DE PAROCHIS ET PRO-PAROCHIS

I Grave nimis est atque excellens Parochorum officium, quod qui rite ac laudabiliter adimplet, is et Ecclesiae valde perutilis et Deo nimis acceptus procul dubio censendus est. Ad hoc autem recte praestandum multum quidem juvant quae de vita et honestate Clericorum superius edidimus, plura tamen sunt propria Parochorum munera, quibus licet rite instructos Parochos nostros non ignoremus, imo iisdem etiam satisfacere magna cum voluptate sentiamus, ea tamen in hisce Synodalibus Constitutionibus exponere, statuere et confirmare non incongruum esse judicamus.

II Primum itaque omnium enixe obsecramus Parochos ut assiduas humilesque Deo preces effundant, quibus ipsi, velut mediatores Deum inter et homines constituti, infinitam ejus in populum misericordiam exorent atque imminentes peccatorum poenas a reis avertant, Moysis verba adhibentes: *aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*^a, aut etiam Christi Domini: *Pater sancte, conserva eos in nomine tuo quos dedisti mihi*^b, quibusque validiora divinae gratiae auxilia consequantur, ut gravissima, quibus illos Parochiale officium obnoxios facit, debita atque onera cum animarum lucro adimplere possint: *si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non impropere; et dabitur ei*^c.

III Hoc itaque divinae gratiae instructi praesidio tenentur Parochi Sacramenta fidelibus administrare, eosdem necessaria ad salutem edocere, verbum Dei praedicare, ad virtutes, ad Christianam vitam adhortari per se, si possint, vel per alios

^a Ex 32, 31-32.

^b J 17, 11.

^c Ja 1, 5.

idoneos, si legitime impediti fuerint, omnes denique pastorum ac parentum partes diligenter exercere.

IV Eadem vigilantia et cura quam Clerici et reliqui fideles tenent, vivendi normam inquirere debent, hinc pari charitate et zelo peccata corrigere praesertim publica scandala pravasque consuetudines de medio tollere, familiaritates sponsorum, cohabitationes, festorum inobservantiam, furta, blasphemias, maledictiones, ebrietates, odia, inimicitias atque alia hujusmodi reprehendere atque extirpare, quae animarum saluti officiant et spiritualem ruinam ac perniciem populis afferunt. *Speculatores enim dati Domui Israel pervigilare debent, quasi rationem pro aliorum peccatis reddituri*^d.

V Nec frustra cedet eorum labor, si, quae verbo in aliis reprehendunt, vitia ipsi primum fugiant atque ex animo adversentur, et, quam inducere volunt, recte vivendi rationem ipsi quoque teneant et operibus confirment, secundum Pauli monitum sese *in omnibus bonorum operum exemplum praebentes, exemplum inquam in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*^e. *Revera qua libertate, ait Tridentinum, laicos corripere poterunt, cum tacite sibi ipsi respondeant eadem se admisisse, quae corripiunt*^f? Certe affirmat Chrysostomus^g peccatum illius, qui aliorum curae praefectus est, pestilentissimum esse, *nam ab immundo quis mundabitur? Et qui sibi nequam est, cui bonus erit?* Igitur vitam suam ita instituant ut, quam populum edocent, Christianam perfectionem in opere velut in imagine ostendant.

VI Magnam et peculiarem curam habeant pauperum, eorum necessitates inquirant, iisque, quantum possunt, subveniant. Item diligenter invigilent super infirmos, eos, quocumque neglecto labore aut incommodo, Sacramentis pascant

^d Ez 3, 17; Hb 13, 17.

^e Tt 2, 7; 1 T 4, 12.

^f Sessio 14 in proaem<io> *De reformatione*.

^g *De sacerdotio* 6, 11; Sir 34, 4 [in P da “peccatum” a “esse” il testo è riportato in corsivo, sebbene il passo di Crisostomo sia parafrasato, cfr. Migne, PG 48, coll. 686-687].

in tempore, frequenter invisant atque, ubi infirmo supremum vitae diem instare noverint, eum nunquam deserant, dulci suavique sermone consolentur, atque ad actus Theologicarum virtutum, ad perfectam contritionem, ad christianam patientiam, ad amorem Dei aeternaeque vitae desiderium ac beatam spem excitent atque inflamment. *Parochi aegrotos, etiam non vocati, inquit Divus Carolus, invisant ut ad Sacramentorum susceptionem inducant et eorum animabus, quacumque ratione possunt, sollicitate consulant*^h.

VII Offerant quoque pro fidelibus Missae sacrificium diebus dominicis et festis, quibus populus tenetur Missam audire, quemadmodum post Tridentinum declarat Benedictus XIVⁱ. Iisdem etiam diebus sanctum Dei verbum annuntient et pueros Christianam doctrinam edoceant, eam servantes methodum quam alibi jam praescripsimus. Hoc enim leges imponunt omnes gravissimae damnantes culpaе silentem turpiter Parochum, qui in extremo iudicii die exclamabit: *veh mihi, quia tacui*^j.

VIII Ad haec autem officia rite recteque praestanda nedum utilis censenda est, sed prorsus necessaria personalis residentia. Hanc sane sacris literis innixi Patres communiter et Sacra Concilia aperte praecipunt, ac praesertim *sessione XXV* Synodus Tridentina. Quare Parochis omnibus districte prohibemus ne suis ab Ecclesiis ultra tres dies discedant, nisi prius exposita ac recognita justa discedendi causa nostram aut Vicarii Generalis in scriptis facultatem obtineant, atque unum designent Sacerdotem idoneum qui ipsorum partes suppleat atque omnia Pastoralis officii debita persolvat.

IX Illud etiam ad optatum hunc finem maxime perducit quod Parochi ea sint instructi scientia, quam custodire Sacer-

^h *Concilium primum Mediolanense [Acta Ecclesiae Mediolanensis, pars 1, De iis quae ad sacramentorum administrationem generatim pertinent, p. 6, Patavii 1754].*

ⁱ *Sessio 23 De reformatione, c. 1. Constitutio Quum semper 19 Augusti 1744 [SS. D. N. Benedicti papae XIV Bullarium, tom. 1, pp. 366-373, Romae 1746].*

^j *Is 6, 4.*

dotis labia et ab ore ejus requiri sacra scriptura affirmat^k. Hinc Dioecesim nostram perlustrantes, Romani Concilii et Benedicti XIV normam sequuti praecepimus^l ut semel in hebdomada casus aliquis moralis discuteretur, quem a Parocho propositum atque in Sacristia jam ante praefixum designatus a Parocho Sacerdos exponeret, ac, momentis rite perpensis, quae a Scriptura, Patribus et Ecclesiae decretis petuntur, statuto tandem die resolveret. Hoc idem quod a quibusdam Parochis neglectum novimus, in hac nostra Synodo confirmamus atque statuimus, Confessarium ejusmodi coetus sine impedimento effugientem damnantes ad solvendum medium scutatum piis usibus applicandum.

X Eidem poenae subjicimus Clericum qui nullo impedimento irretitus dissertationibus de Rubricis seu sacris Ecclesiae ritibus quas praefixo in mense die haberi volumus, non intersit, nullumque profecto ad majores Ordines unquam promovebimus, quem iisdem interfuisse ex Parochi testimonio in scriptis dato certo non constet.

XI Curent Parochi ut sacrae functiones et Ecclesiastica officia ea peragantur dignitate eoque decore quem per se ipsa postulare videntur, neque ulla unquam in iisdem exercendis adhibeant ornamenta, supellectilem et vasa, quae prius a nobis aut ab alio a nobis delegato non fuerint benedicta. Porro sacras functiones etiam majoris hebdomadae, nullus ut in iisdem exercendis irreverentiae locus esse possit, ultra dimidium horae post occasum solis protrahendas omnino prohibemus.

XII In benedictionibus vero agrorum, domorum, fructuum, ciborum, quae veteri Ecclesiae more fieri solent, sicut et in benedictione post partum, quae non alio in loco nisi in Ecclesia, nec ab alio nisi a Parocho vel Pro-Parocho, praestari debet, non secus ac in exorcismis pro fugandis procellis aerisque tempestatibus, noxiis animalibus profligandis morbisque pernicio-

^k *Ma* 2, 6.

^l Tit. 15, cap. 9, *Institutio past<oralis>* 32 [Cfr. *Concilium Romanum in sacrosanta Basilica Lateranensi celebratum*, pp. 59-60, Romae 1725; BENEDICTI XIV, *Institutiones Ecclesiasticae*, pp. 209-215, Romae 1750].

sis avertendis non alias preces, orationes aut ritus adhibeant, nisi a Missali vel Rituali Romano constitutos. Si contra mures, locustas, bruchos et vermes proferatur benedictio, ea utantur formula a Benedicto XIV tradita, quam ad calcem Synodi subijcimus^m. Atque hujusmodi exorcismis ad expellendos daemones vel maleficia dissolvenda neminem uti volumus, quin prius fuerit nostra vel nostri Vicarii Generalis facultate munitus.

XIII Quoniam vero tanto oneri subeundo impares sunt Parochi atque ad curam animarum exercendam soli minime sufficiunt, tot assumere debent Sacerdotes, qui auxilium illis ferant, quot locorum Ordinarii satis esse judicaverint ad Sacramenta rite dispensanda cultumque divinum laudabiliter celebrandum. Jam vero nos, cum pro diversa locorum ratione Pro-Parochorum numerum designavimus qui Vicarios Parochiales perpetuos in spirituali fidelium regimine adjuvarent, congruum illis adsignavimus emolumentum praeceptis obtemperantes Sancti Pontificis Clementis XIV¹ datis literis ad Episcopos Sardiniae die 21 Septembris 1769 incipientibus *Inter multiplices*², ad quarum normam statuta pariter fuit Vicariorum quarta, integro manente jure, quod praebendam obtinentibus competat, ejusmodi Pro-Parochos praesentandi a nobis postea approbandos.

^m Divus Carolus, *Inst<ructiones> baptismi*, Acta pars 4. S. Congregatio Concilii, *In Ant<uerpiensi>* 18 Novembris 1662, apud Van Espen pars 2, t<it>. 2, 5, 9. Benedictus XIV *Institutio* 47 [cfr. *Acta Ecclesiae Mediolanensis, Quae servanda sunt post Baptismum*, p. 429, Patavii 1754. Z. B. VAN ESPEN, *Ius ecclesiasticum universum*, pp. 308-309, Coloniae Agrippinae 1702. BENEDICTI XIV *Institutiones Ecclesiasticae*, p. 329, Romae 1750].

¹ Giovanni Vincenzo Ganganelli (1705-1774), papa dal 1769, si adoperò per ridurre il carico fiscale dei sudditi e riformare la pubblica amministrazione dello Stato Pontificio, ma è ricordato in particolare per aver soppresso la Compagnia di Gesù nel 1773 con il breve *Dominus ac Redemptor noster*. Il suo nome, insieme a quello di Pio VI, è legato anche al Museo Pio-Clementino.

² Bolla 13 del 21 settembre 1769, cfr. A. BARBERI, R. SEGRETI, A. SPEZIA, *Bullarii Romani continuatio, Tomi XIX*, tom. 4, pp. 35-40, Romae 1841.

XIV Jam vero Pro-Parochis rigide prohibemus ne proscriptum a Clemente XIV felicitatis recordationis abusus innovent spirituale sibi ministerium dividendi, illud alternis hebdomadis exercendo, quemadmodum Divus Carolus Borromaeus jam ante vetuerat in haec verba: *nec vero ullo unquam modo patiatur certa quadam hebdomadarum partitione, aliave ratione inter se inita... Parochialis officii functiones, quae ab utroque etiam diebus iisdem utiliter praestari possunt, ita inter se dividere, ut ab uno tantum eorum alternatim scilicet, vel per hebdomadas, vel alia temporis vicissitudine praestentur... Non enim ferendum est ut tali Ecclesiae deserviant, ac si non plures, sed unus tantum Parochus, animarumve Curator constitutus in illa esset*ⁿ.

XV Hinc iisdem praecipimus ut singulis diebus ad Ecclesiam accedant, non solum ut Missam praedicto superius ordine celebrent, sed etiam ut aliis ministeriis ad spiritualem populi curam pertinentibus sedulo incumbant. Item praecipimus, non secus ac Parocho, sub poenis nostro arbitrio reservatis, ut quoties ad Sacramentorum administrationem, vel in auxilium infirmorum a fidelibus requiruntur, praesto iidem sint ac libenter, sine mora, eorum votis respondeant. Hinc iisdem prohibemus ne vel uno integro die Parochia discedant, quin prius suae absentiae rationem nobis aut nostro Vicario Generali in civitate, et Parocho in Dioecesi reddentes discedendi facultatem obtineant.

XVI Denique Pro-Parochos monemus vocatos eos esse in Parochorum auxilium, ut, eadem qua Parochi debent pietate, zelo, charitate et vigilantia, spirituale animarum regimen exercent, idcirco teneri sacras functiones peragere, populum consiliis, cohortationibus ac monitis juvare, Sacramenta administrare, fidei rudimenta et ad salutem necessaria edocere, Evangelium annuntiare, in omnibus laborantes et ministerium suum implentes, ut fideles inter dispensatores recenseri possint. Grave quidem onus atque Angelicis etiam humeris formidandum, sed quod leve reddet ac dulce specialis Dei providentia et

ⁿ *Acta Ecclesiae Mediolanensis, Concilium Provinciale IV, De paroch<iis> [De parochiis et parochialibus juribus ac officiis, p. 141, Patavii 1754].*

auxilium, illos enim quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, invenientur idonei^o, atque aeternae mercedis expectatio quae labores nostros in altera vita satis superque compensabit: cum apparebit Princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriae coronam^p.

^o Sanctus Thomas, *Summa Theologiae*, III^a q. 27 a. 4 co.

^p *IP* 5, 4.

CAPUT XVIII

DE SERVITIO CHORI

I Cum irreprehensibilis profecto sit atque omni commendatione digna vitae norma et ratio, quam Canonici servant, atque assiduitas conveniendi in chorum divinisque laudibus vacandi, nil nobis restat aliud quam ut eosdem hortemur ut prae oculis habeant quae de vita et honestate Clericorum superius statuimus, et propriam hanc et praecipuam muneris sui partem diligentius etiam, si fieri possit, exequantur.

II Silentio praeterire non possumus quod Clemens XI¹ in Epistola ad Episcopos Italiae, atque adjacentium Insularum scripsit²: *Vuole Sua Beatitudine, che V<ostra> S<ignoria> inculchi premurosamente a' Canonici, Benefiziati, Mansionarj, Capellani, Chierici, ed altri serventi, tanto della sua Cattedrale quanto delle Collegiate della sua Diocesi, l'obbligo strettissimo che hanno di assistere in Coro con ogni riverenza, silenzio e modestia, come conviene alla presenza della tremenda Maestà dell'Altissimo, e di salmeggiare con divozione di cuore e proporzione di voce, senza precipitazione o troncamento di parole, in modo che una parte del coro non cominci il versetto prima che l'altro sia finito, acciò il popolo possa intendere quello che si canta ed essere eccitato a divozione e compunzione in udire le divine lodi.*

III Quae quidem omnia jam ante ab Ecclesia in pluri-

¹ Giovanni Francesco Albani (1649-1721), papa dal 1700, combatté il nepotismo e gli abusi degli ambasciatori esteri in materia di diritto di asilo e contrastò i giansenisti con la bolla *Unigenitus* (1713). Fu attivo anche in campo culturale: istituì un'accademia di pittura e scultura, tutelò le opere d'arte presenti a Roma, promosse lo sviluppo dell'archeologia su basi scientifiche, arricchì la Biblioteca Vaticana.

² Enciclica *A sollicitudine pastorale* del 16 marzo 1703, cfr. CLEMENTIS XI PONTIFICIS MAXIMI *Bullarium*, pars secunda, pp. 526-529, Romae 1723.

bus Conciliis statuta fuisse latet neminem. Nemo itaque juxta eadem Concilia, quum horae Canonicae in communi publice cantantur, legat vel dicat privatim officium, nam non solum obsequium cui obnoxius est Choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat. Et speciatim Concilium Arelatense^a: *nullus Canonicus inter canendum dormiat, nugetur, literas aut libros legat, officium privatim recitet, per Chorum vegetur, indecore sedeat, quidquamve faciat aut loquatur quod Chori disciplinam et psallentium devotionem perturbet*. Eadem ferme habet Concilium Provinciale Mediolanense^b atque eadem communiter tenent Theologi, qui ad restitutionem fructuum obligant Beneficiarios Choro addictos qui in officii cantu voluntarie distrahuntur^c.

IV Atque, ut aliquid hac in re provideamus, quod sin minus praesens saltem futurum tempus respiciat, volumus punctatorem, cui ex officio incumbit notare absentes in Choro, omnem adhibere diligentiam in observandis hujusmodi defectibus qui persaepe in Choro committi solent. Hinc praecipimus consuetudinem inviolabiliter servari eligendi singulis annis ejusmodi punctatorem, qui Coadjutorem habeat ut ejus vices suppleat, atque hosce juramentum praestare de exercendo fideliter officio suo, formulam adhibentes a Divo Carolo praescriptam^d. Haec itaque erit formula juramenti punctatorum: *Ego N. punctatoris officium, quod suscepi, omni fidelitate et sinceritate executurum promitto et juro: si aliquem injuria notarim de meo ei satisfaciam; si notandum praetermiserim, de meo item tantumdem dabo, quod in Ecclesiae usum convertatur, et integras unius hebdomadae distributiones amittam: sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia*.

^a Habitum 1594, cap 33 [Concilium Avenionense, tit. 34 de Horis Canonicis].

^b Pars 2, c. 52 [Acta Ecclesiae Mediolanensis, Concilium Provinciale Mediolanense I, Quo modo versantur in choro, p. 28, Patavii 1754].

^c Benedictus XIV, tomus II, Notificatio 107, 5 [Institutiones Ecclesiasticae, pp. 745-746, Romae 1750].

^d Concilium Provinciale I, Acta, pars 1, De officio Punctatoris [la formula si legge negli Acta Ecclesiae Mediolanensis, Concilium Provinciale Mediolanense IV, De distributionibus, p. 136, Patavii 1754].

V³ Porro Tridentini Concilii normam sequentes, omnibus Beneficium possidentibus facultatem libenter damus per tres menses ab Ecclesia discedendi, simulque statutas ab eodem poenas contra eos, qui longius absint, indicimus et confirmamus^e, nisi⁴ absint ob infirmitatem, ob justam et rationabilem corporalem necessitatem aut evidentem Ecclesiae utilitatem^f. Atque iisdem ob oculos ponimus Sacrae Congregationis decretum: *Sacra Congregatio censuit Eminentissimum Episcopum facere debere decretum ut in Collegiatis Ecclesiis suae Dioecesis, quae vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium, Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno et eodem tempore, et hujusmodi vacationem contingere non debere tempore quadragesimae et adventus, neque in majoribus solemnitatibus*: eadem⁵ Sacra Congregatio per alia decreta statuit Canonicos indigere licentia Episcopi, quoties extra Dioecesim abesse volunt^g. Neque aliter nostri Canonici facere consuescunt.

VI Non lucrantur distributiones quotidianas et accepta tenentur restituere, non obstante quavis remissione, a Choro absentes, iis tantum exceptis casibus a jure approbatis^h. Iisdem quoque minime gaudent qui licet Choro intersint, silentium tamen non servant et officia divina elata voce non canunt. *Quod tolerari nullo modo debere aut posse*, inquit Benedictus XIV, et

³ Tutti i riferimenti presenti nella costituzione V hanno come fonte fondamentale Benedetto XIV, *Institutiones Ecclesiasticae*, 107, 6, pp. 761-765, Romae 1750.

^e Sessio 24 *De reformatione*, c. 12.

⁴ In P da “nisi” sino a “utilitatem” il testo è riportato in corsivo, ma non si tratta di citazione letterale.

^f Cap. *Consuetudo*, *De Clericis non residuentibus* in VI [*Liber Sextus Decretalium*, 3, 3].

⁵ In P da “eadem” sino a “volunt” il testo continua in corsivo.

^g 12 Julii 1631, lib^{er} 14 decretorum. Iadren^{si}, 9 Maii 1626, lib^{er} 26 decretorum. [Si tratta di decreti della Sacra Congregazione del Concilio. Il primo datato 12 luglio 1631 *in causa Auximensi*, l'altro del 9 maggio 1626, *in causa Iadrensi*. Sia i riferimenti, sia il testo riportato da Quasina si leggono a p. 763 delle *Institutiones Ecclesiasticae*, cfr. n. 3, supra].

^h Citato cap. *Consuetudo*.

*Canonicis clare significandum, ipsos, si ita in Choro se gerant, nequaquam in foro conscientiae fructus suos facere; nimis enim aperta sunt Concilii Tridentini verba, Sessione XXIV De reformatione, et conciliari decreto conformia omnino sunt Sacrae Congregationis judicia, quibus contraria quaelibet consuetudo veri abusus nomine declaratur*ⁱ.

VII Quamobrem nos Chori servitio consulentes, tempore divini officii, nonnisi ob gravem necessitatem, congregationes haberi volumus ne divinum officium interrumpatur. Atque in hujusmodi coetibus faciendis, ad evitandas contentiones et dissidia, quod consulendum proponitur, id tacitis suffragiis decerni ac dijudicari jubemus. Qua quidem in re, quae obtinuit in nonnullis Cathedralibus Ecclesiis consuetudo rebus nimirum suis ac litibus praeficiendi aliquos Canonicos, qui earum curam suscipiant easdemque diligenter pertractent, eam velut celeriori negotiorum expeditioni et Chori simul Servitio valde aptam atque opportunam et commendandam ducimus, et observari deinceps etiam atque etiam adhortamur.

VIII Quod Canonicos nostros hortamur ut nempe discant cantum, ut ajunt, Gregorianum, id Beneficiatis omnibus districte praecipimus, declarantes neminem in posterum Beneficii possessionem a nobis obtenturum, nisi a Praecentore ac duobus Beneficiatis antea probatus, in eodem cantu jurejurando, si opus fuerit, affirmetur instructus.

IX Quemadmodum vero in cantu Canonicos ac Beneficiatos ad vocem magistri chori sese accommodare ejusque pra-

ⁱ Benedictus XIV, *De Syn. Dioec.* 13, 9, 11. *Institutiones* 107. Item constitutio *Quum semper* 103, 24 et alia *Praeclara decora*, 6 ejusdem *Bullarium* tom. 3. *Tridentinum*, Sessio 24 *De reformatione*, c. 12, *Sacrae Congregationis* 13 Januarii 1624. [La fonte di tutti i riferimenti citati è proprio *De Syn. Dioec.* 13, 9, 11 (p. 507, Romae 1755): *Inst. Eccl.* 107, 3 (pp. 751-754, Romae 1750); bolla papale 103 *Cum semper* del 19 agosto 1744 (SS. D. N. Benedicti papae XIV, *Bullarium*, tom. 1, pp. 366-373, Romae 1746); bolla papale 4 suppl. *Praeclara decora* del 19 gennaio 1748 (op. cit. tom. 3, pp. 585-587, Romae 1753); *Concilium Tridentinum*; decreto della sacra Congregazione del Concilio del 13 gennaio 1624 *in causa Terracinense*]

ecentionem sequi, atque in sacris functionibus exercendis, ut debitus ordo servetur, Magistro caerimoniarum sese aptare volumus, ita in recitatione officii, sub poenis nostro arbitrio reservatis, Clericos omnes sive in choro sive extra Chorum a directorio discedere prohibemus, quod singulis annis typis mandatur ad normam decretorum Sacrae Congregationis, quam de hac re consulendam^j duximus. Quod sane contemnendum minime esse monet Sanctus Antoninus et Salmaticenses, qui cum aliis gravissimis Theologis lethalis culpa reos faciunt, qui ab eodem deliberate recedunt.

X Cum primum sit ac proprium trium Beneficiatorum officium animarum curam suscipere, volumus paratos esse eos, quacumque urgente necessitate, ad administranda fidelibus Sacramenta atque alia ejusmodi exercenda, quibus ex consuetudine incumbere debent quibusque a Choro abesse licite possunt.

XI Denique addictos Choro Clericos monemus ut in exercendo diligenter munere suo sibi potissimum proponant Dei cultum et honorem, non distributiones, quod simoniacum esset, uti affirmat Divus Thomas: *si enim distributiones recepit, quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit et mortaliter peccat, si autem habeat principalem finem Deum in tali actu, ac hujusmodi distributiones respicit secundario, non quasi finem, sed sicut id, quod est necessarium ad suam sustentationem, nec peccat, nec simoniam committit*^k.

^j In *Bosanen*<si> 13 Martii 1771 et 22 Augusti 1772. [Decreti della Congregazione dei Sacri Riti].

^k *Quodlibet* VIII, q. 6 a 1 co.

CAPUT XIX

DE JEJUNIORUM ET FESTORUM OBSERVANTIA

I Quamquam aperte non constet Sacrum Quadragesimale jejunium a Christo Domino institutum fuisse, uti ostendit Thomassinus^a, illud tamen inficiari nemo potest, quod docet Divus Augustinus institutum videlicet fuisse ad similitudinem jejunii Moysis et Eliae et a Christo Jesu quadraginta dierum jejunio consecratum. *Quadragesima sane jejuniorum*, inquit Sanctus Doctor^b, *habet auctoritatem, et in veteribus libris ex jejunio Moysis et Eliae, et ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit demonstrans Evangelium non dissentire a lege et Prophetis.*

II Et sane cum nos antiquorum Ecclesiae temporum doceat historia jejunium quadragesimale a primaevis fidelibus rite observatum fuisse, deque eo tamquam de re notissima loquatur Nycoena Synodus prima anno 325, illud profecto consequitur, non aliunde quam ab Apostolicis temporibus illius originem repetendam esse. *Quod universa tenet Ecclesia*, firmissima est Augustini regula, quam Hieronymus, Leo Magnus¹ et caeteri Patres amplectuntur, *nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime*

^a Tractatus *De jejuno* > 1, 4. [Ludovicus Thomassinus è il nome latinizzato di Louis Thomassin, teologo francese oratoriano vissuto tra il 1619 e il 1695. Fu autore di trattati teologici e giuridici come i *Dogmata theologica* e la *Vetus et nova ecclesiae disciplina*. Quasina cita il *Traité des jeunes de l'Eglise*, pp. 15-19, Paris 1630].

^b Epistula 55 *Ad [inquisitiones] Januarii* 15, 28 [cfr. Migne, PL 33, col. 217].

¹ Leone I detto anche Magno (390-461), papa dal 440, affermò l'unità della Chiesa e la supremazia del vescovo di Roma su ogni altro. Le sue opere sono rappresentate da una raccolta organica di sermoni e da un ricco epistolario.

creditur^c. Quod si cum a veteribus, tum etiam a recentioribus Haereticis totis fuit viribus impugnatum, illud erudite vindicaverunt Orthodoxi, inter quos praesertim excelluerunt Baronius², Bellarminus³, Cozza⁴, et Gotti⁵ non minus dignitate quam doctrina praestantissimi viri.

III Ad Apostolicam quoque traditionem referendum esse quatuor temporum jejunium contendit Baronius^d: *ipsa quidem quatuor anni temporum jejunia quae in Ecclesia servari solent, ex Apostolica traditione sumpsisse principium Sanctus Leo absque ulla dubitatione confirmat*. Jejunia vero, quae in vigiliis Sanctorum Apostolorum, praeterquam Joannis, Philippi et Jacobi, et in quibusdam festis Beatae Virginis exerceri solent, ex traditione Ecclesiastica haberi haud dubium est^e.

IV Quare tenentur Parochi diebus festis, quibus major est in Ecclesia populi concursus, sancti jejunii dies fidelibus praenuntiare, ne eorumdem ignoratione tam salutare praeceptum transgrediantur. Exponent quoque finem ob quem injunctum fuit jejunium, fructus et utilitates quae ab eodem promanant, moneantque insuper, non in abstinencia tantum a vetitis cibis et corporis maceratione, sed in vitiorum fuga, cupiditatum freno pravorumque affectuum cohibitione jejunium praesertim consistere. *Jejunantium mores, inquit Sanctus Leo, a puritate perfectae continentiae non discrepent; non enim in sola absti-*

^c *De baptismo contra Dona<tistas>* 4, 24, 31 [Migne, PL 43, col. 174].

² Cesare Baronio (1538-1607), cardinale e storico, autore degli *Annales Ecclesiastici* più volte citati da Quasina.

³ Cfr. supra, cap. XIV, n. h.

⁴ **P Coza**. Lorenzo Cozza, al secolo Simone (1654-1729), frate minore, cardinale e teologo, fu autore, tra le altre opere, dei *Commentarii historico-dogmatici in librum s. Augustini de haeresibus* e della *Historia polemica de Graecorum schismate*.

⁵ Vincenzo Lodovico Gotti (1664-1742), cardinale e teologo, fu autore di opere polemiche e apologetiche, ma la sua attività più importante fu lo studio della *Summa Theologiae*.

^d Ad annum Christi 57, 206 [*Annales Ecclesiastici*, tom. 1, p. 519, Romae 1693].

^e Steph<anus> Daoiz, verbo *Jejun<are>* [STEPHANUS DAOIZ, *Index iuris pontificii*, Burdigalae 1624].

nentia cibi stat nostri summa jejunii aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur^f.

V Hortentur eos qui propter aetatem aut aegritudinem in abstinentia carnis dispensandos esse putant, ut id nonnisi de utriusque medici consilio faciant. Ita sane et sine ullo peccandi periculo carnes comedent et sine scandalo aliorum quod hujusmodi cautionem negligentes necessario parient.

VI Insuper moneant eos, quibus justa ex causa carnibus vesci permittitur, a jejunii lege minime dispensatos esse. Hoc enim, a Clemente XI promulgato per Cardinalem Vicarium Edicto antea declaratum, confirmavit Benedictus XIV, qui methodum in ejusmodi dispensationibus servandam constituens praescripsit eos, quibus gravi de causa usus carniū permittitur, unice comestionis praecepto teneri et in vespertina refectiuncula quadragesimalibus uti debere cibis, interdicta omnino epularum permitione^g.

VII Hortamur etiam dispensatos a carnibus ut, ad servandam quantum fieri potest jejunii disciplinam, simplici ac frugali refectioe utantur, simulque diebus veneris et sabbati intra quadragesimam abstineant carnibus, qui extra idem tempus iisdem vesci minime solebant, incongruum enim videtur quadragesimali tempore a carnibus dispensatos, majori eas vescendi libertate gaudere quam reliquo anni tempore potiebantur.

VIII Quoniam vero ex consuetudine, quae plurimis viget in locis, diebus jejunii extra quadragesimam esus ovorum et lacticiniorum conceditur, imo quibusdam in locis etiam in quadragesima aut diebus tantum Dominicis, aut piscium aliorumque ciborum defectu omnibus diebus eorundem usus permittitur, debent se prudenter gerere Parochi consuetudinem ejusmodi, si forte invenerint, minime reprobantes pravosque simul, si qui forte irreperint, impediētes abusus, ne aut consuetudini legitime inductae aut generali jejunii legi unquam derogetur.

^f *Sermo 42 De quadragesima IV, 2* [cfr. Migne, PL 54, col. 276].

^g *Epistula ad Cath<olicos>* 1741. [Enciclica 19 *Non Ambigimus* del 30 maggio 1741, cfr. SS. D. N. *Benedicti papae XIV Bullarium*, tom. 1, pp. 48-50, Romae 1746].

Eandem quoque prudentiam adhibere debent Parochi et Confessarii circa eos qui propter egestatem non habent quod uni justae refectio sufficiat, non secus ac circa operarios atque artifices qui ex officio laboriosa nimis opera exercent, quibus sine gravi incommodo jejunare non possunt.

IX Quoad senes vero itinerantes atque alios qui, vel ex legitima causa vel ex privilegio Bullae Cruciatæ, a stricta jejunii lege immunes censentur, ab eo non recedant Parochi et Confessarii, quod sanioris doctrinæ Theologi hac de re statuerunt^h.

X Eadem quoque vigilantia et cura studeant Parochi ad perfectam festorum observantiam fideles excitare. Et quoniam dies festi omnes divino cultui addicti sunt, suntque ad exercendas Christianas virtutes atque ad sanctificandas fidelium animas ab Apostolis et Ecclesia instituti; patet hujusmodi dies religiose ac pie traducendos et divinis actionibus santisque rerum officiis consecrandos esse.

XI Hinc populum diligenter edoceant diebus festis exercenda esse opera pietatis, religionis et charitatis, vacandum divinis officiis, insistendum orationi, meditationi, lectioni librorum, suscipienda Sacramenta, audiendas Conciones, atque alia id generis peragenda quibus Sancti Patres, Summi Pontifices et Concilia multa festos dies sanctificandos esse aperte declarant.

XII Porro dierum festorum nomine non solum dies Dominica, quæ in memoriam Resurrectionis Christi ab Apostolis Sabbato substituta est, sed alii etiam intelligi debent dies quos progressu temporis in memoriam beneficiorum Dei et in honorem Sanctorum Ecclesia observari et sanctificari præcipit. Quibus quidem diebus idem omnino qui diebus Dominicis præcipitur cultus atque idem bonorum operum sanctarumque virtutum exercitium.

XIII Duo tamen ad implendum præceptum de sanctificatione festorum fideles speciatim præstare debent. Tenentur nempe audire Missam et abstinere ab operibus servilibus quæ

^h Vid. Propositio 31 ab Alexandro VII damnata.

scilicet ad necessitatem vel commodum corporis, aut ad aliquid corporale a servis aut a mercenariis exerceri solentⁱ. Haec vero postrema obligatio omittendi opera servilia in quibusdam festis non viget, remanente altera non minus gravi audiendi Missam obligatione. Utrum vero festivis diebus peculiaris adsit obligatio abstinendi a peccatis, nostrum non est definire. Referenda tantum censemus Augustini verba^j: *ille vero observat sabbatum qui non peccat, ita enim praecipitur: omne opus servile non facietis⁶, omnis qui facit peccatum, servus est peccati⁷*. Cui assentitur Angelicus: *magis contra hoc praeceptum agit qui peccat in die festo quam qui aliud corporale opus licitum facit^k*. Ab obligatione tamen abstinendi a servilibus, ubi gravis atque urgens necessitas cogat, a nobis aut a nostro Vicario Generali eximentur fideles, imo etiam suis in Ecclesiis a Parochis, quorum intererit diligenter exquirere num gravis et justa dispensandi ab ejusmodi obligatione causa revera adsit.

XIV Quum Piissimi felicitis recordationis Caroli Emmanuelis Regis edicto 2 Januarii 1768⁸ ea insuper omnia, secundum Ecclesiae leges, quae fideles a divino cultu piisque operibus, quibus dies festi specialiter destinati sunt, avertere possunt, uti opera judicialia seu forensia, mercatus, nundinae, celebrationes contractuum, itineratio, quae cum equis oneratis, jumentis, curru aut navigio fiat, et tempore divinorum officiorum et Catechismi, choreae, personae seu larvae, spectacula publica seu theatri ludi, indictis etiam poenis, omnino prohibeantur, nihil aliud nobis hac in re superesse intelligimus quam ut Parochos nostros hortemur atque obsecremus ut Ecclesiae legibus praefatoque Regio Edicto morem gerentes commissas sibi plebes verbis, monitis, objurgationibus, et si opus fuerit, implorata etiam

ⁱ [*Decretum Gratiani*] D. 1, c. 62 *De consecratione*. Ex 31, 15.

^j *Sermo* 270, 5 [cfr. Migne, PL 38, col. 1242].

⁶ *Lv* 23, 7.

⁷ *J* 8, 34.

^k [*Summa Theologiae*] II^a-IIae q. 122 a. 4 ad 3.

⁸ *Pregone del Viceré conte Des Hayes de' 2 gennaio 1768 prescrivente l'osservanza delle feste ed altre provvidenze pel medesimo fine* [cfr. *Editti, pregoni ed altri provvedimenti*, tom. 1, pp. 17-20, Cagliari 1775].

seculari potestate, ad debitam festorum observationem excitent atque perducant.

XV Illud profecto minime ferendum est quod quibusdam festis praesertim ruralibus contingere solet, ut nempe ad Ecclesiae fores choreae instituantur, quibus ex mutuo aspectu colloquio sibi invicem placendi desiderio, juvenes ad libidinem commoventur atque excitantur turpes cogitationes et cupiditates veneraeque delectationes et excitatae facile admittuntur. Hunc itaque abusum atque hoc peccandi periculum conentur Parochi publicis privatisque admonitionibus suis ab Ecclesiis remove. Nec tam faciles sint ad excipiendas eorum Confessiones, qui ad haec celebranda festa consuetudine potius et voluptate quam devotione conveniunt: persaepe enim contingit ut sine debitis dispositionibus ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta vago iidem distractoque animo accedant.

XVI Eodem zelo et studio pessimam illam consuetudinem seu potius corruptelam extirpare satagant Parochi, qua nonnullae mulierculae Novenas, ut ajunt, in honorem Sanctorum celebratae per Ecclesiam aut ipsius Ecclesiae atrium nudis genibus incedere solent, quod intuentium risum aut impuras etiam cogitationes excitare potest. Quem abusum licet totis huc usque viribus evellere sumus enixi, ad illum tamen penitus eliminandum, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, ejusmodi Novenas deinceps celebrari prohibemus.

XVII Tandem Tridentinorum Patrum normam sequentes hortamur fideles ut diebus saltem Dominicis et solemnioribus festis ad Parochialem Ecclesiam accedant. Quum enim teneantur Parochi hisce praesertim diebus praedicare verbum Dei, divinam legem fideique rudimenta commissis sibi populis exponere, profecto consequitur illos vicissim Parochiali Ecclesiae, in qua sancta haec exercentur officia ubi commode id fieri potest, interesse decere¹.

XVIII Illud unum ad obtinendam festorum et jejuniorum observantiam postremo hoc in loco addendum superest, quod

¹ Sessiones 22 et 24 c. 4.

nempe festorum vigiliis praecipiant Parochi dari campanae signum, quo tum solemniora quibus etiam servilia prohibentur, tum minus etiam solemnia festa quibus Missa tantum praecipitur, populo distincte praenuntientur, ut ad eadem pie ac religiose celebranda disponi valeat. Idem quoque campanae signum fieri jubeant media nocte ante feriam quartam cinerum, ut a carnibus vetitisque cibis abstinendi obligationem urgere et sanctum incipere quadragesimale jejunium fideles admoneantur.

CAPUT XX

DE VENERATIONE ET ORNATU ECCLESiarUM

I Quum Deo Supremo rerum Domino et locorum ac temporum moderatori cultus et veneratio ubique praestanda sit, tum praesertim in templis exhibendum est illi obsequium quae in propriam fidem ac domicilium elegit, ut hominum in iisdem orantium preces exaudiat eosdemque uberrimis gratiae donis maximisque beneficiis cumulosos dimittat^a.

II Quamobrem tenentur Parochi commissas sibi plebes diligenter edocere qua reverentia, devotione cordis atque externa corporis habitusque compositione debeant in Ecclesiis adesse, acriter reprehendentes irreverentias, garrulitates, liberiores intuitus, inepta colloquia atque alia id generis quae sanctam Dei sedem et orationis domum prorsus dedecent.

III Atque ut facilius ab huiusmodi rebus fideles absterreant, ob oculos ponant graviora supplicia quae templorum violatoribus intulisse Deum sacra praesertim historia commemur. Memorent subitaneum Ozae interitum, incendium filiorum Aaron, exitium Philisthaeorum, Jerosolymae excidium atque alia innumera, quae ob templi veteris violationem et Arcae contemptum, quae nostrorum templorum figura fuit, irrogata per omne tempus fuisse Sacra Scriptura testatur. Certe, si Jeremiam audiamus, omnia fere mala quibus nos undique premimur, bella, incendia, fames, pestis atque alia infortunia et calamitates, *ultio Domini sunt, ultio templi sui*^b. Quod confirmat Apostolus^c: *si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*. Quid plura? Christus Dominus, magnum illud charitatis, patientiae ac mansuetudinis exemplum, graviter indignatus, facto

^a 2 Par 7 et seq.; L 11, 1.

^b Jr 51, 11.

^c 1 C 3, 17.

de funiculis flagello, templi violatores in Joannis Evangelio legitur eiecisse^d.

IV Hinc districte prohibemus ne in Ecclesias (quod non raro in ruralibus praesertim contingere solet) arma unquam deferantur, simulque Parochis, Pro-Parochis et Sacerdotibus indiscriminatim praecipimus, sub poenis nostro arbitrio reservatis, ut, si quem arma gestantem in Ecclesia deprehenderit, Missarum celebrationem et divina officia suspendant.

V Occurrere studeant Parochi irreverentiae qua laici presbyterium, locum solis altaris ministris reservatum, ingredi aliquando non erubescunt, nulloque modo sinant ut in exedris confessionalibus illi sedeant, indignum namque et indecorum est sacrum divinae misericordiae tribunal, uti merito has sedes appellare possumus, ab aliis quam a Confessariis iudicibus a Deo ad absolvendum constitutis occupari. Item prohibeant ne quid unquam in Ecclesiis peragatur quod ad secularia potius ac profana negotia spectare atque a divino cultu et sacrarum rerum officiis alienum videri possit.

VI Insuper districte interdiciamus ne quis in rurales Ecclesias ligna, paleas, vasa vinaria, instrumenta agriculturae atque alia id generis reponat aut pernoctet, cibum somnumve capiat, haec enim omnia debitam loco sacro reverentiam auferunt. Idcirco Parochi, quibus templorum decus et reverentia cordi debet esse quam maxime, eorumdem clavem secum habeant atque hujusmodi abusus acriter reprehendant, illos etiam arguentes qui sacris innituntur altaribus et Sanctissimo Sacramento, quod Angeli invisibiliter adorant, terga impudenter vertunt^e.

VII Parochi, superiores Regularium, et quarumcumque Ecclesiarum curam gerentes acriter vigilent ut criminum rei,

^d J 2, 13-17.

^e Pius V, *Constitutio* v. *C<um> Primum*, [de] rever<entia> loc<orum> sacr<orum> exhibenda. [Bolla papale 9 del 1 aprile 1566, cfr. L. TOMASSETTI ET COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM, *Bullarium Romanum Tomi XXIV*, tom. 7, p. 434-438, Augustae Taurinorum 1862].

qui ad easdem confugiunt, loci sanctitatem serio considerent, modeste ac reverenter in iis commorando, nihil agendo quod officiorum celebritatem fideliumque devotionem imminuat aut perturbet. Hinc diligenter curent ne consortium mulierum intra Ecclesiam habeant, arma ferant aut alio quovis modo sacro Asylo abutantur. Nobis, si opus fuerit, rem deferant qui, implo-rato etiam brachio seculari, e domo Dei profanationem tollere curabimus.

VIII Jam vero Dioecesim nostram perlustrantes, nonnullas Ecclesias quas vel collapsas, vel omnino incompositas atque indecoras vidimus, profanis usibus non tamen sordidis, erecta in parietibus Cruce, destinavimus^f, easdemque ad quas spectabant Parochias adjunximus. Item non ullos jure patronatus in sacella nostrae Cathedralis et alias Ecclesias, post terminos juridice praefixos, excidisse declaravimus, quod Patroni nihil de earumdem ornatu et compositione solliciti essent, idem erga alios Patronos in posterum facturi, nisi Ecclesiae aut sacelli in quod jure gaudent Patronatus decori et cultui diligenter consulant^g.

IX Haec itaque debet esse, quae nobis profecto est maxima, Parochis omnibus, Procuratoribus Ecclesiarum et Oratoriorum praesidibus sollicitudo ut eadem Ecclesiae atque Oratoria qua fieri potest munditie, nitore atque elegantia serventur. Curent ut firmi, solidi, mundique sint parietes, fornices et sacrae turres, noxias infestasque herbas ex iisdem radicitus evellant, saepeque per annum pulvere et araneis expurgent, fenestras clathris vitreis obserant, et pavimentum aequale riteque stratum, semel saltem in hebdomada, everri praecipiant.

X Praeterea studeant diligenter ut sacella, pictae tabulae, simulacra, Crucifixi imago quae in medio altaris statui debet, candelabra, altare lapideum sigillo quod reliquas Sanctorum continet obsignatum, tabellae in quibus secreta Evangelium

^f *Concilium Tridentinum*, Sessio 24 [De reformatione] c. 7. C<arolus> B<orromaeus>, *Acta*, pars 1, *Concilium Provinciale IV*, *De rat<ione> adhib<enda> in Ecclesiis, alt<aribusque> pr<ofanandis>* [pp. 109, Patavii 1754].

^g S<acra> Congregatio [Episcoporum et Regularium], in *Mutinen<si>* 2 Maji 1601, 2 Januarii et 3 Junii 1602.

Sancti Joannis et psalmus *Lavabo*¹ in memoriae subsidium legenda occurrunt, tres mappae, quarum superior saltem oblonga usque ad terram pertingat, atque alia id generis ad sacra officia requisita, munda sint et nitida, eoque serventur decore et cultu quo res sacras tractari decet, quique sancto illi ac tremendo mysterio, quo Dominus Jesus salutaris hostia quotidie immolatur et sumitur, quoad fieri possit, digne respondeat.

XI In Ecclesiis Parochialibus tabernaculum debet esse bene constructum, inauratum stratumque intus albo serico, cuius ostium sit velo ejusdem coloris ocllusum clavique firmiter obseratum. Ciborium in eo servetur ex argento intus inaurato, quod sacras particulas contineat quae populo sufficere possint, albo etiam serico exterius obductum, simulque bulga quae per funiculos aperiri claudique possit, in qua sit capsula itidem argentea atque aurata qua particula consecrata reponatur, ubi aegrotum in loco praesertim dissito commorantem Sacro Viatico refici oporteat. Item habeatur sacra Sphaera, quae medium orbem inauratum aptumque sacrae hostiae recipiendae inter vitra claudat, quae in altari ad adorandum exponi gestarique in processionibus possit.

XII In iisdem quoque Ecclesiis sedes Confessionales et baptisteria esse debent, in quibus non desint quae ad Sacramenti administrationem requiruntur, quaeque eo construantur modo, eoque serventur nitore et cultu quem sacrarum rerum dignitas postulat et quem de baptismo et poenitentia agentes superius praescripsimus.

XIII Insuper deesse minime debent cerei, lanternae, umbella et caeterae suppellectiles quae ad sacras functiones rite peragendas, ad instituendas processiones ac deferendum infirmis sacrum Viaticum necessariae sunt. Item lignum vere Crucis, quod in thecis aut argentea Cruce decenter servetur, in promptu sit quo indigent Parochi in functionibus passionis et majoris hebdomadae.

XIV In Sacristia sint scabella cum tabellis praeparationis ad Missam, scrinia in quibus indumenta Sacra, calices, quorum

¹ Ps 25, 6.

cupae saltem debent esse argenteae et patenae inauratae, missalia, et sacrae vestes cujuscumque coloris, albae, amictus, cinguli, corporalia, purificatoria et linthea, urceoli et parvae nolae, quae omnia non sordida, lacera et scissa, sed integra et nitida et pulchra servantur, ob magnam, quae divinis rebus debetur, reverentiam: *nimis enim absurdum videtur, inquit Concilium Lateranense², in sacris sordes negligere, quae dedecent in profanis.*

XV Tandem praecipimus ut intra mensem index siat seu repertorium Sacrarum vestium et supellectilis Ecclesiae, de quibus, singulis annis, mense Januario, Parochis et Procuratoribus Ecclesiarum rationem reddent Aeditui seu Sacristiae praefecti. Atque ad hoc officium ab iis qui nominandi Sacristas jus habent, neminem adsumi volumus quem non bonis moribus praeditum esse certissime constet. Qui secus fecerit, quae forte subierit Ecclesia damna, ipse de suo reparabit.

² *Concilium Lateranense IV, 19.*

CAPUT XXI

DE SEPULTURIS ET EXEQUIIS

I Abrogata jam constitutione Leonis Imperatoris^a duodecim tabularum lege, qua cautum fuerat ne corpora eorum qui ex hac vita decedunt intra civitates sepulcro mandarentur, vigente in dies Christiana religione, Apostolorum et Sanctorum Martyrum urbana Sepulcra permissa sunt. Cum vero fideles ac praesertim Christiani Imperatores devotione aut aemulatione permoti, prope Sanctorum tumulos suos quoque habere vehementer optarent, tum et ipsi intra moenia atque in atriis Basilicarum, ubi Sanctorum reliquiae repositae fuerant, condi humarique coeperunt^b. Hinc constans ac perpetua usque ad saeculum nonum viguit in Ecclesia consuetudo sepeliendi fideles in atriis, in porticu, in Caemeteriis, quae religiosa habebantur loca, non quod in iisdem defunctorum corpora conderentur, sed quod, ritu quodam, sepeliendis fidelium corporibus dicata essent atque sacrata^c.

II Progressu temporum permissum fuit ut Sacerdotes et nonnulli laici, qui virtutum laude florebant, ut testatur Theodulphus Aureliensis Episcopus, intra Ecclesiam tumularentur: *nisi persona sit Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitae merita talem, vivendo, suo corpori defuncto locum acquisivit*^d, inquit laudatus Antistes. Inde unicuique facta in Ecclesiis sepulcrum eligendi facultas. Quae nova consuetudo cum multis incommodis obnoxia sit, Ecclesia valde peroptat quod, *ubi*

^a Novella 53.

^b Chrysostomus, *Hom<ilia> in II ad Corinth<ios>*, 26 [cfr. Migne, PG 61, coll. 575-584].

^c Cau<sa> 13, qu<aestio> 2, canon 15 [*Decretum Gratiani*] L<eges> 41 ss. [*Digesta*] *De religiosis et sumpt<ibus> funerum*.

^d In *Epistula ad suos praesb<yteros>* [*Capitula ad praesbyteros parochiae suae*, 9, cfr. Migne, PL 150, col. 194].

viget, pristina retineatur, et, ubi fieri potest, restituatur^e. Quare Parochi fidelibus persuadere conentur ut in Caemeteriis inhumari sinant, quae ab Ecclesiae primordiis sepeliendis fidelium corporibus destinata fuerunt.

III Hinc curent animarum Rectores ut Caemeteria munda serventur firmisque clavibus occlusa, habeantque in medio erectam Crucem, quae loca sacra esse demonstret. Nequaquam sinant ut in illis quidquam peragatur quod debitam loco sacro reverentiam violet, simulque praecipiant ut sepulturae sint profundius effossae et bene clausae, ne gravem tetrumque odorem emittant.

IV Insuper studeant ut ossa in loco mundo, tuto et clauso reponantur, ne canibus alisque animalibus aditus pateat^f. In medio altare sit erectum quo solitae functiones exerceri decenter possint.

V Sepulcra intra Ecclesias aperta, quoad fieri potest, in earum corpore sita sint, quae prope sacella excavata sunt, tribus saltem palmis ab infimo gradu altaris distent. Sint omnia profunda, recte occlusa, compagibus calce obductis, ne exhalationes mittantur quae foetorem pariant^g.

VI Caveant ne fidelium cadavera sepulcro mandentur quin horae 12, si naturali aegritudine, aut si subitanea et violenta morte diem supremum obierint, 24 horae fuerint elapsae: ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus^h.

^e *Rituale Romanum, De exequiis* [pp. 144-145, Romae 1617].

^f *Concilium Mediolanense IV, De sep<ulcris>*, *Acta*, pars 1 [*De caemeteriis*, p. 106, Patavii 1754]

^g Sacra Congregatio Episcoporum apud Barbosam. Sanctus P<aulus> V, Bul<la> *Cum primum*. *Concilium Mediolanense IV, De sepul<ris>*, *Acta*, pars 1. [Sono presenti tre riferimenti: a) Decreti della Congregazione dei Vescovi citati da AUGUSTINUS BARBOSA in *Iuris Ecclesiastici Universi*, pars 2, p. 69, Lugduni 1677; b) bolla *Cum Primum*, cfr. supra cap. XX, n. e; c) *Acta Ecclesiae Mediolanensis*, pp. 105-106, Patavii 1754].

^h *Rituale Romanum. Concilium Mediolanense VI, Quae ad fun<era>*, *Acta*, pars 1, pag. 295. [Per il *Rituale Romanum* cfr. p. 144, Romae 1617. Per gli *Acta Ecclesiae Mediolanensis* cfr. p. 264, Patavii 1754].

VII Quinam vero Ecclesiastica sepultura, ipso jure, indigni censendi sint, ex Rituali Romano facile dignoscent. Quod si aliquod occurrat dubium quod maturius excuti oporteat, illud nobis dissolvendum proponant. Ab eodem Rituali in faciendis defunctorum exequiis minime discedant, neque alii, quam praescriptis ab Ecclesia ritibus, precibusque utantur.

VIII Parochis districte interdiciamus ne sepeliendi jure aliquid eo amplius emolumentum percipiant, quod in nostris Diocesis perlustrationibus, juxta Pontificiam Constitutionemⁱ, excessum aliquem hac in re moderaturi praescripsimus. Hoc itaque scutatam monetae Sarda pro adultis et scutati dimidium pro parvulis non excedat, illudque in Ecclesiae beneficium atque utilitatem convertatur. Laudabilem vero consuetudinem, quae nonnullis viget in locis, nimis videlicet nostra taxatione sumendi aut etiam gratis fidelium cadavera inhumandi servandam ac retinendam volumus.

IX Itidem prohibemus ne pacta in celebrandis fidelium exequiis aut conventiones ineant, quae avaritiam, ambitum ac simoniacam labem sapere videntur, iisque tantum acquiescant, quae vel a defunctis ultro designata, vel ab ipsorum haeredibus, si intestati decesserint, pie ac sponte fuerint oblata. Licere tamen putamus majus aliquod emolumentum pro majori ac celebriori pompa percipere, quam defunctus aut haeredes fieri postularint.

X Quod si defuncti pauperes revera sint, nihil omnino pro ipsorum funeribus et sepulturis exigere volumus, quin etiam Parochos exhortamur ut Christiana pietate et dilectione incensi, candelas et quae necessaria sunt, ultro suppeditantes, debitam eorumdem statui et conditioni, imo etiam majorem pompam persolvant.

XI Omnem curam Parochi impendant ut certo cognoscant pia legata a suis defunctis Parochianis relicta, eandemque adhibeant ut perfecte atque integre, nulla interposita mora,

ⁱEncycl<ica> *Decet*, 21 Septembris 1769, Clemens XIV [cfr . A. BARBERI, R. SEGRET, A. SPEZIA, *Bullarii Romani continuatio, Tomi XIX*, tom. 6, pp. 40-53, Romae 1841].

ipsorum dispositiones adimpleantur, quarum nos conscii esse volumus, ut vel huic sane magnae Pastoralis Officii parti satisfactum fuisse sciamus, vel ad easdem explendas, omni quo possumus modo, eos statim ad quos pertinet compellamus.

XII Omni prorsus sollicitudine et zelo pessimam illam quae in pagis praesertim viget consuetudinem avertere atque eliminare studeant, qua defunctorum familiares et consanguinei conceptum moerorem et luctum ejulatu, passis, scissisque capillis, lamentationibus funebrique cantu, conductis etiam pretio fanaticis quibusdam mulieribus, insanum in modum testari solent. Hanc sane corruptelam, quam Dioecesim invisentes magna ex parte sustulimus, ut Gentilium ritibus ac superstitionibus valde consonam et nostrae religioni nimis adversantem reprobamus atque damnamus. Atque idcirco Parochis gravem obligationem injungimus impiam hanc consuetudinem, ubi invaluerit, acriter reprehendendi monendique populos nos omnino velle ac Synodali lege districte praecipere, ut hujusmodi in casibus, praeter poenas nostro arbitrio infligendas, defunctorum cadavera intra Ecclesiam sepultura priventur, sed in Caemeterium, sine comitatu aliorum Sacerdotum, uno cum Pro-Parocho et cruce Parochiali tumulanda deferantur.

XIII Denique, ut poenas Pontificias aliasque nobis reservatas effugiant Parochi et Sacerdotes etiam Regulares, Bonifacii VIII Constitutionem, qua ad eligendam in aliqua determinata Ecclesia sepulturam precibus, consilio, aliave quavis ratione aliquem inducere prohibentur, prae oculis habeant^j.

^j Cap. V. *De sep<ulturis>* in VI [*Liber Sextus Decretalium*, 3, 12, 5].

CAPUT XXII

DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESiarUM

I Quam difficile sit ac perrarum fidelem atque integrum dispensatorem invenire, omnium nos temporum experientia constanter edocuit, ut profecto illud merito usurpari possit quod scripsit Apostolus: *hic jam quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur*^a. Constat enim Procuratorum culpa aut etiam negligentia et incuria plurima Ecclesiarum bona dispersa ac dissipata fuisse, ut in nonnullis nostrae Dioecesis Ecclesiis contigisse aliquando dolemus.

II Quamobrem nos Pastoralis officio ac muneri, quo bonis Ecclesiarum providere et consulere tenemur, deesse profecto videremur, nisi quae ad eorundem conservationem rectamque administrationem multum conferre videntur, quibusdam editis legibus, in hac nostra Synodo statueremus.

III Primum itaque omnium praecipimus ut Parochi et praebendam possidentes, quibus illos nominandi jus competit, singulis annis, mense Decembri, novos bonorum administratores, qui boni sint integrique nominis, nobis approbandos proponant. Quod si neglexerint, nostrum erit in id officium quos idoneos judicabimus eligere, reservata etiam nobis facultate confirmandi veteres, si ante elapsum terminum rationem ipsi reddant qua recte ac fideliter munus gessisse suum indubitanter appareat.

IV Volumus ad hoc officium Clericos prae saecularibus eligendos, qui si defuerint, laicos etiam non inviti admittemus, eos praesertim quos recte illud alias obiisse noverimus, praestito semper idoneo fidejussore.

V Mandamus itidem ut intra duos menses a celebratione Synodi, Parochus, Procurator et Pro-Parochus antiquior redi-

^a IC 4, 2.

tuum Parochialis Ecclesiae, Oratorii vero proventuum Praeses seu Prior, Procurator, Parochus et Consilarii Confraternitatis indicem faciant seu inventarium, describentes in libro, quem idcirco haberi volumus, possessiones, praedia, census quos Ecclesia vel Oratorium possideat, ac diligenter notantes collationes, pretium, fructus, si opus sit, peritorum iudicio, nec non instrumenta tabellasque contractuum, atque, harum defectu, tempus quo Ecclesia vel Oratorium eorum possessione gaudet.

VI Porro hoc inventarium, cuius exemplum ad nos mittent, ab iis omnibus qui eidem faciendo interveniunt, subscriptum erit praefatusque liber in Ecclesiarum Archivis nexus fibula diligenter custodietur. Hoc inventarium, praescripto jam modo, singulis iterari trienniis volumus. Erit libri titulus: *Liber praediorum et bonorum quae Ecclesia Parochialis vel Oratorium S. N. hujus Civitatis vel hujus oppidi possidet.*

VII Quod si Ecclesia armenta gregesque habeat, alium librum haberi praecipimus in quo procuratores singuli initique cum pastoribus Contractus describantur, armenti species numerus, auctiones, diminutiones, fructus, pretium quo hi venduntur, expensae, clare distinctisque foliis adnotentur. Erit hujus libri titulus: *Liber armentorum N. quae Ecclesia Parochialis vel Oratorium S. N. hujus oppidi N. possidet.*

VIII Item si Ecclesia habuerit sata, alium librum habere debet quo seminis quantitas, sumptus omnes, percepti fructus et pretium quo iidem venduntur, distincte ac perspicue adnotentur, eritque inscriptio libri: *Liber satorum quae habet Ecclesia Parochialis vel Oratorium S. N. hujus oppidi N.*

IX Impleto jam administrationis tempore, Procurator Ecclesiae Parochialis, coram Parocho et Pro-Parocho antiquiori, Oratorii vero Procurator coram Praeside seu Priore, praedictis Consiliariis et Parocho, reddituum omnium et proventuum rationem dabit, ut inspectis ab iisdem praefatis libris collatoque cum his, si opus fuerit, inventarii codice, et dati acceptique inito calculo, de ejus fidelitate rectaque administratione aperte constet.

X Jam vero in hisce administrationis libris quos Ecclesiae et Oratoria habere debent, eorum administratores rationem

reddituri, deductis lineis, calculos arithmeticos facient, quibus datum, acceptum expensumque ad amussim designetur. Atque haec supputatio a Parocho post discussionem approbata, scripto ad ejus calcem testimonio firmabitur. Tum ad nos spectabit eamdem ad examen revocare, ut nostra tandem de more definitio accedat. Harum nos supputationum exemplar, data ad Parochos Epistola, ad Procuratores mitemus, ad quod suos inde calculos instituent.

XI Itidem districte prohibemus ne quid reddituum Ecclesiasticorum sibi administratores adsciscant. Neque illis aliquid praeter solidos libellis numero respondentes, juxta huc usque servatam consuetudinem, unquam exigere liceat. Qua in re eorum laudamus liberalitatem, qui sine ullo stipendio, in ejusdem favorem et commodum, Ecclesiae bona administrarunt.

XII Nec poterunt praefati administratores majores reddituum fructus vendere, quin prius de pretio Parochum et antiquiorem Pro-Parochum certiores reddant eorumque consensum Ecclesiae utilitati consulentium expresse obtineant.

XIII Quod si, rationibus deductis, debitor extiterit Procurator, ad assem, sine mora, solvere adiget neque illi induciae concedendae sunt absque nostra facultate, quae induciae, si debitum quindecim scutorum summam attingat, eidem tribuentur, dum Chirographi cautio seu obligatio debiti stipulatione firmata inseratur.

XIV Si Ecclesiasticos inter redditus quaedam sint credita quae exigi minime possunt, in libris distincte exprimet simulque rationem procurator ostendet, cur eadem non amplius exigi valeant. Ita enim ab omni onere soluti bonorum administratores intelligentur.

XV Non liceat Procuratori absque nostra aut Vicarii Generalis facultate praeter minutos et ordinarios alios unquam facere sumptus, qui quatuor scutorum summam excedant. Hanc facultatem supplici utens libello, quo eorumdem necessitatem exponat, si aequum fuerit, facile impetrabit.

XVI Insuper Ecclesiae agros, praedia etc. locare prohibetur, nisi prius, ad ejusdem fores afixa schedula, populus de eorum locatione conscius siat, ut majus offerenti pretium qui solvendo

sit intra aequitatis fines locari possint. Caveat tamen Procurator ne ipse conducat ut omnem ambitus et negotiationis suspicionem auferat.

XVII Atque ut pecuniae securitati magis magisque consulamus, praecipimus ut procuratores eam tantum pecuniae partem, qua ad necessarios indigent sumptus, apud se retineant, coeteras vero pecuniae summas in arcis reponant, de quarum depositione mensarii, distincte notantes diem, mensem et annum, scriptum testimonium faciant.

XVIII Hanc vero arcam tribus clavibus obseratam in domo Parochi servandam, si Parochialis sit, aut Praesidis, si oratorii, custodiendam volumus. Si de arca Parochiali agatur, unam ex tribus clavibus Parochus, Procurator alteram, tertiam antiquior Pro-Parochus secum habeat, si de arca oratorii, Prior, Procurator et Confraternitatis antiquior Consiliarius easdem inter se distribuant.

XIX In eadem arca pecuniam ex pensionibus censibusque redemptis provenientem reponendam praecipimus commendamusque Parocho et Procuratori, ut obtenta prius a nobis aut a nostro Vicario Generali facultate, super hypotheca tuta et frugifera iterum constitui satagant.

XX His expositis atque statutis, nil superest aliud quam ut Parochos enixe adhortemur ut in hac sane gravi sui muneris parte exequenda studium et sollicitudinem collocent, ac pro eorumdem bonorum, quibus Ecclesiae maxime indigent, conservatione et incremento vigilant atque laborent.

CAPUT XXIII

DE DECIMIS A FIDELIBUS SOLVENDIS

I Difficillimis hisce temporibus, quibus quam plurimi sunt qui aut omnino subtrahunt aut non integre institutas in sacrorum ministrorum subsidium decimas solvunt, nonnullorum perversitas atque ambitio quasdam invexit pestiferas opiniones, quibus tuti ab implenda gravissima hac obligatione excusari putant. Contra hos tamen leges clamant omnes quae integram decimarum solutionem stricte praecipunt.

II Revera quis ignorat vel ipsos Gentiles solo ductos rationis lumine in templo et altari laborantibus in populorum commodum alimenta suppeditandi obligationem agnovisse? Certe Rex Pharao, ut sacra memorat historia, hac de re persuasus statuit ut Sacerdotibus Aegyptiis *praeter terram, quae tradita fuerat, cibaria ex horreis publicis praeberentur*^a. Hinc Divus Paulus: *quis plantat vineam et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat? Nescitis quoniam qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant; ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de altari vivere*^b.

III Et sane nemo non videt Deum Optimum Maximum, qui sua nos providentia sustentat, *neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*^c, in agnitionem supremi ipsius dominii, aliquid ab hominibus exigere posse, et Sacrorum administris, qui in populi utilitatem labores impendunt, et pro eo Deum orant, laudant, Sacrificium offerunt atque alia obeunt ministeria, victum sustentationemque debere. Ita sane Divus Thomas: *pertinet ad jus naturale ut homo ex*

^a Gn 47, 22.

^b I C 9. [9, 7 e 9, 13-14].

^c I C 3, 7. Aug., Tractatus 80 in Joannem [80, 2, cfr. Migne, PL 35, col. 1839].

rebus sibi datis a Deo aliquid exhibeat ad ejus honorem^d. Atque ita Sancti communiter Patres prae oculis habentes praeceptum Moysi in Levitico injunctum: *omnes decimae terrae, sive de fructibus, sive de pomis arborum, Domini sunt. Omnium decimarum bovis, et ovis, et caprae, quae sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit sanctificabitur Domino*^e.

IV Accedit Ecclesiae auctoritas quae gravissimis poenis et censura excommunicationis ad persolvendas exacte decimas fideles omni tempore obstrinxit. Neque ab hoc crimine, cujus rei sunt tum qui decimas subtrahunt, tum etiam qui impediunt, nisi plena restitutione sequuta, absolvi possunt^f: nam ut ait Divus Augustinus, *qui decimas non solverint res alienas invadunt*^g.

V Ex his profecto apparet quam inepte a nonnullis merae elemosynae nomine decimae noncupentur, quamque ferendus non sit eorum abusus, qui putant ex fructibus tantum qui, extracto semine, deductis expensis omnibus, supersunt, decimas esse persolvendas. Certe quidquid ex terra colligitur, fructus est terrae, cum semen corrumpatur atque extingatur, et Ecclesiastica lege *sancitum est ut sine diminutione seminis et sumptuum debeant decimae solvi Ecclesiae cui debentur*^h.

VI Studeant idcirco Parochi omni sollicitudine et zelo tam perniciosas opiniones, quae a nonnullis avaritia et lucri cupiditate excoecatis magno Christianae Reipublicae detrimento vindicantur, prorsus evellere, hortenturque fideles ut Deo, quae Dei sunt, et Sacris Ministris debita exolventes, divina supplicia, siccitates, inundationes, sterilitatem contagionesque avertant.

^d II^a-II^{ae} q. 86 a. 4 co. [*Summa Theologiae*].

^e Lv 27 [27, 30 e 27, 32].

^f *Concilium Tridentinum*, Sessio 25 [*De reformatione*] c. 12. *Concilium Lateranense II*, c. x. *Lateranense IV*, c. 53. *C. Parochianos*, *De decimis*; c. *Ex parte* titulo citato; c. *Non*, eodem titulo [*Decretales Gregorii IX* 3, 30, capp. 4, 21 e 22].

^g *Sermo De tempore*, tit. *Decimae* [Agostino è citato attraverso il *Decretum Gratiani*, C. 16, q. 1, c. 66. Cfr. anche *Sermones suppositi, De diversis*, 277, 3, in Migne, PL 39, col. 2268].

^h *Cap. Non est et cap. Tua nobis, De decimis* [*Decretales Gregorii IX*, 3, 30 capp. 22 e 26].

VII Quod si eodem jure et praecepto Ecclesiis primitiae tribuendae sunt, earumdem solutionem Parochi fidelibus inculcent, servata semper hac in re locorum consuetudine.

VIII Et quamquam in hujus Dioecesis nostrae regimine, ad quod immeriti divina benignitate vocati sumus, dulciora et suaviora huc usque media adhibere consuevimus, cum tamen ea, quibus ad obtinendam debita tot legibus decimarum solutionem usi sumus, irrita atque inutilia magno animi dolore sumus experti, idcirco auctoritate nobis ab Ecclesia concessa utentes, ad fortiora atque extrema remedia (quod a nostris moribus abhorret) vel invitati, si opus fuerit, descendemus.

CAPUT XXIV

DE OBSERVANDIS CONSTITUTIONIBUS SYNODALIBUS

I Quae in hisce nostris Synodalibus Comitii definita, explicata ac statuta sunt, ea post duos menses quam typis mandata atque in lucem edita fuerint, sarta tectaque haberi atque ab iis omnibus, ad quos quomodolibet spectat, diligenter observari praecipimus, tamquam si per mandatum aut per literas essent specialiter indicta. Qui secus fecerint, constitutas in iisdem poenas atque alias nostro etiam arbitrio infligendas nequaquam effugient.

II Quoniam vero ea complecti omnia, quae ad divinum cultum, ad Ecclesiasticam disciplinam atque ad spirituale fidelium regimen spectant, res fuisset nedum nimis ardua et perdifficilis, verum etiam inutilis ac superflua, idcirco ea tantum in hac nostra Synodo statuere in animo fuit quae pro hodierno Dioecesis nostrae statu magis utilia magisque necessaria existimavimus. Volumus tamen quidquid in eadem omissum fuerit aut in Sacris Canonibus sancitum, aut in aliis antea actis hac in Dioecesi Synodis constitutum, id omne sub expressis ibidem poenis integre exacteque observari, reservata nobis et successoribus nostris facultate immutandi, addendi, detrahendive quae ad Dei gloriam, ad Ecclesiae utilitatem magis expedire pro temporum varietate possunt.

III Nil igitur restat aliud quam ut Vos, venerabiles fratres et dilectissimi in Christo filii in hoc loco congregati, toto pectore adhortemur ut quae in hac nostra Synodo ex Episcopali officio, quod divina bonitate meritis licet imparibus exercemus, commissi nobis gregis utilitati consulentes sancimus, statuimus atque edidimus, et ipsi diligenter observetis et ab aliis accurate observari curetis, memores Apostolici illius praecepti: *obedite praepositis vestris et subjacete eis*^a. Quod potissimum Parochis

^a Hb 13, 17.

injungimus iisdem praecipientes ut quaecumque hic definita sunt ad fideles spectantia, eadem illis nota facere satagant. Haec itaque Synodalia statuta unusquisque vestrum prae oculis habeat, animo perpendat ut quae ad Dei cultum, ad Ecclesiasticae vitae normam, ad bonum populorum regimen spectant, et rite cognoscere, et studiose exequi valeat. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quae in eo scripta sunt*^b.

IV Finem tandem imponimus hisce nostris Synodalibus Constitutionibus verbis Divi Caroli Borromaei ad ipsius Clerum directis: *at ipse Deus, et Pater noster, et Dominus Jesus Christus dirigat vias vestras in omni sancta obedientia: exhortetur corda vestra et confirmet in omni opere et sermone bono, ita ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, per omnia ei placentes, sicque sanctis vestrarum virtutum progressionibus probati appareatis ante Deum et Patrem nostrum in adventu Domini Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus*^c. Amen.

^b Jos 1, 8.

^c Concilium Mediolanense IV, Monitiones, Acta, pars 1 [Acta Ecclesiae Mediolanensis, p. 161, Patavii 1754].

FORMULA PROFESSIONIS FIDEI IN SYNODO EMITTENDA

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium; et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis; et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et Homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum scripturas; et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis; et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas; et unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Jesu Christo Domino nostro instituta atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem et

Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnii administratione recipio et admitto, omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum et proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Ecclesia Catholica transubstantiationem appellat: fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre atque eorum reliquias esse venerandas: firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo: Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo et juro. Cetera item omnia a sacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, declarata indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum con-

stantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia.

FORMULA

*pro benedictione impertienda et plenaria indulgentia
in articulo mortis.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini:

R. Qui fecit coelum et terram.

ANTIPHONA

Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (vel ancillae tuae),
neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem:

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam):

R. Deus meus sperantem in te.

V. Domine exaudi orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum:

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Clementissime Deus, Pater misericordiarum et Deus totius
consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque
sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum, re-
spice propitius famulum tuum N. (vel ancillam tuam N.), quem
(vel quam) tibi vera fides et spes Christiana commendant. Visita
eum (vel eam) in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem
et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et ve-
niam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui te Ju-
dicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab

omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum etc.

Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus Confiteor etc. Sacerdos dicat Misereatur tui etc. Deinde

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa Indulgentiam Plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris etc.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat et ad gaudia sempiterna perducatur. Amen.
Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque ad confessionem faciendam neque ad praemissas preces recitandas tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur.

BENEDICTIO

contra mures, locustas, bruchos et vermes noxios.

ANTIPHONA

Exurge, Domine, adjuva nos et libera nos propter nomen tuum.

Psalm. Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis. Gloria Patri, et Filio etc. *et repetit<io> antiphona.*

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini:

R. Qui fecit coelum et terram.

V. Domine exaudi orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum:

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Preces nostras, quaesumus, Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, et hanc murium (vel locustarum, vel bruchorum, vel vermium) persecutionem patimur, pro tui Nominis gloria ab ea misericorditer liberemur; ut tua potentia procul expulsi (vel expulsae) nulli noceant et campos agrosque nostros in tranquillitate ac quiete dimittant, quatenus ex eis surgentia, et orta tuae Majestati deserviant, et nostrae necessitati subveniant. Per Christum etc.

OREMUS

Omnipotens sempiternae Deus omnium bonorum remunerator et peccatorum maximus miserator, in cujus nomine omnia genuflectuntur caelestia, terrestria et infernalina, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede ut quod de tua misericordia confisi agimus, per tuam gratiam efficacem consequamur effectum, quatenus hos pestiferos mures (vel locustas, vel ver-

mes) per nos servos tuos maledicendo maledicas, segregando segreges, exterminando extermines, ut per tuam clementiam ab hac peste liberati gratiarum actiones Majestati tuae libere referamus. Per Christum etc. Amen.

Exorcizo vos pestiferos mures (vel locustas, vel vermes) per Deum Patrem omnipotentem † et Jesum Christum Filium ejus † et Spiritum Sanctum ab utroque procedentem †, ut confestim recedatis a campis et agris nostris, nec amplius in eis habitetis, sed ad ea loca transeat in quibus nemini nocere possitis; pro parte omnipotentis Dei et totius curiae caelestis et Ecclesiae sanctae Dei, vos maledicens, ut quocumque ieritis sitis maledicti (vel maledictae) deficientes de die in diem in vos ipsos (vel ipsas), et decrescentes, quatenus reliquiae de vobis nullo in loco inveniatur, nisi necessariae ad salutem et usum humanum, quod praestare dignetur, qui venturus est judicare vivos et mortuos et seculum per ignem. Amen.

Postremo aqua benedicta aspergantur loca infecta.

BENEDICTIO

equorum et aliorum animalium.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini:

R. Qui fecit caelum et terram.

V. Domine exaudi orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum:

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur. Per Christum etc. Amen.

OREMUS

Omnipotens sempiternae Deus, qui gloriosum Beatum Antonium variis tentationibus probatum inter mundi hujus turbines illaesum transire fecisti, concede famulis tuis ut et praeclaro ipsius proficiamus exemplo, et a praesentis vitae periculis ejus meritis, et intercessione liberemur. Per Christum etc. Amen.

OREMUS

Benedictionem tuam, Domine, haec animalia accipiant, qua corpore salventur, et ab omni malo per intercessionem beati Antonii liberentur. Per Christum etc. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

PRECES

*a Confessariis adhibendae antequam fidelium
confessiones excipiant.*

V. Cor mundum crea in me Deus:

R. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

V. Ne projicias me a facie tua:

R. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

V. Redde mihi laetitiam salutaris tui:

R. Et spiritu principali confirma me.

V. Docebo iniquos vias tuas:

R. Et impii ad te convertentur.

V. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae:

R. Et exultabit lingua mea justitiam tuam.

ORATIO

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori ut digne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter magnam tuam misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis, et me exiguum humilemque mediatorem constituisti ad orandum et intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum pro peccatoribus et ad poenitentiam revertentibus. Ideoque dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis et famulabus tuis, qui ad poenitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis, quo resipiscant a diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur, ut ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eundem Christum etc. Amen.

ATTOS DE BONU CRISTIANU

qui cumandamus a sos Parochos e Curas narrer a sos populos insoro in sos dies de festa innantis de sa prima e ultima Missa.

Adoro, Deus meu, sa infinita Majestade bostra, qui pro esser immensa, creo a mie presente.

Bos do graças, Deus meu, de totu sos benefícios qui mi azis fattu tantu generales, comente e particulares, speçialmente de mi aer criadu, sustentadu e redemidu cun su preziosissimu samben bostru.

Mi arrepeno, Deus meu, de totu coro de bos aer offesu pro esser bois que fezis infinitamente bonu dignu d'esser amadu subra totu sas cosas, proponzo mai pius peccare assistidu cun sa graça bostra.

Bos offerzo a pius gloria bostra totu sos pensamentos, paraulas e obras mias in unione de cantu bois azis pensadu, nadu e obradu pro amore meu.

Mi resigno in totu a sa santissima voluntade bostra, prontu ancora a rezire una morte repentina in custu die e pro mi agatare prevenidu.

Mi protesto qui creo firmamente in totu su qui cumandat crear sa santa Mater Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, e totu lu creo pro qui Deus l'hat reveladu in particulare: creo in su misteriu de sa Santissima Trinite, qui fezis unu Deus e tres personas distintas Babbu, Fizu e Spiridu Santu. Creo qui su Fizu si est fattu homine in sas intragnas de Maria Santissima, creo qui est nasquidu, mortu, sepultadu, ressussitadu, alziadu a sos Quelos, da ue hat a benner a giudicare sos bonos ei sos malos: a sos bonos hat a dare su quelu e a sos malos su infernu.

Confido, Deus meu, qui mi azis a perdonare sos peccados mios, mi azis a dare sa graçia bostra, e ancora su quelu, pro qui mi lu azis promissu observende eo sa santa lege bostra.

A bois amo, Deus meu, subra totu sas cosas, pro qui subra totu sas cosas sezis dignu d'esser amadu, e amo a su prossimu meu comente a mie mattessi, pro qui bois gasi mi lu cumandades.

BREVE APOSTOLICO¹

*concesso a richiesta di Sua Maestà il Re Carlo Emanuele
sotto il 21 marzo 1759,
in cui si restringe l'immunità delle Chiese.*

CLEMENS PP. XIII

*Venerabilibus fratribus Archiepiscopis
et Episcopis Regni Sardiniae.*

Venerabiles fratres salutem et Apostolicam Benedictionem. Pastoralis officii nostri licet immerentibus divinitus commissi sollicitudo nos admonet ut votis praesertim Catholicorum Principum, per quae ecclesiasticae immunitati nihil sit detractum et simul publicae consultum sit tranquillitati, Apostolicum praebeamus assensum. Sane pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Emmanuelis Sardiniae Regis illustris nobis expositum fuit, quod cum pluries ipsi Carolo Emmanueli Regi a suis pro tempore existentibus in regno Sardiniae hujusmodi Pro-Rege, aliisque ministris delatae fuerint querimoniae ob crebra, quae in toto dicto regno saepe saepius patrantur homicidia aliaque graviora delicta, quibus multum contribuere solet facilitas commodumque, quod delinquentes ac facinorosi viri post patrata gravissima crimina et delicta ad vitandam debitam poenam habent confugiendi ad ecclesias aliaque loca immunita undique in regno predicto existentia, licet nonnulla ex locis immunibus et Ecclesiis hujusmodi debita, qua decet, veneratione minime habeantur et custodiantur, ac propterea ipse Carolus Emmanuel Rex ad eliminandum et penitus praecidendum tam exitiale et detestabile flagitium plurimum desiderat, ut de benignitate Apostolica declarare dignaremur quatenus sint crimina et delicta propter

¹ Cfr. A. BARBERI, R. SEGRETI, A. SPEZIA, *Bullarii Romani continuatio, Tomi XIX*, tom. 1, pp. 105-107, Romae 1835. Il Breve è contenuto anche in *Editti, pregoni ed altri provvedimenti*, tom. 1, pp. 1-4, Cagliari 1775.

